Cap<sup>m</sup>. vi. Hic loquitur de principio creacionis humane: declarat eciam qualiter mundus ad vsrum hominis, et homo ad cultum dei creatus extitit; ita quod, si homo deum suum debite non colat, mundus que sua sunt homini debita officia vterius reddere non teneatur.

Cap<sup>m</sup>. vii. Hic loquitur quod, exquo creator omnium deus singulas huius mundi delicias vsui subdidit humano, dignum est quod, sicut homo deliciis secundum corpus fruitur, ita secundum spiritum deo creatori suo gratum obsequium cum graciaram accione toto corde repandat.

Cap<sup>m</sup>. viii. Hic tractat qualiter homo dicitur minor mundus; ita quod secundum hoc quod homo bene vel male agit, mundus bonus vel malus per consequens existit.

Cap<sup>m</sup>. ix. Hic loquitur qualiter homo, qui minor mundus dicitur, a mundo secundum corpus in mortem transibit; et sicut ipse corporis sui peccato huius mundi corrupcionis, dum vivit, causat euentum, ita in corpore mortuo postea putredinis subire corrupcionem cogetur. Et primo dicet de mortui corporis corrupcione secundum Superbiam.

Cap<sup>m</sup>. x. Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum Inuidiam.

Cap<sup>m</sup>. xi. Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum Iram.

Cap<sup>m</sup>. xii. Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum Avariciam.

Cap<sup>m</sup>. xiii. Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum Accidiam.

Cap<sup>m</sup>. xiv. Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum Gulam.

Cap<sup>m</sup>. xv. Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum Luxuriam.

Cap<sup>m</sup>. xvi. Exquo tractauit qualiter variis peccati deliciis humanum corpus in hoc mundo putredine consumitur, interrogat vterius de homine peccatore, quomodo mundi voluptates

vi. 3 suum CEGD sum S  
om. C

\*\*\*\*

vii. 4 gratum] congruum D

xvi. 3 mundi

tam fallibiles in sui preiudicium ita ardenter sibi appetit et conspirat.

Cap<sup>m</sup>. xvii. Hic loquitur qualiter omnia et singula mundi huius sicut vestimentum veterascunt, et quasi sompnifera in ictu oculi clauduntur: loquitur eciam de mortis memoria et eiusdem nominis significacione.

Cap<sup>m</sup>. xviii. Hic loquitur quod, quamuis iustis et iniustis vnu sit naturaliter interitus, mors tamen iusti omnes exsolvens miserias eius spiritum glorie reddit sempiterne.

Cap<sup>m</sup>. xix. Hic loquitur de dupplici morte peccatoris, vna ex qua corpus hic resoluitur, alia ex qua digno dei iudicio penis perpetuis anima cruciatur.

Cap<sup>m</sup>. xx. Postquam de gaudiis et penis que bonis et malis debentur tractauit, consultit vltterius quod vnuquisque ad bonos mores se conuertat, et de hiis que negligenter omisit, absque desperatione contritus indulgenciam a deo confidenter imploret.

Cap<sup>m</sup>. xxi. Hic loquitur quod sunt modo pauci, qui aut propter celi affectum aut gehenne metum huius vite voluptatibus renunciant; set quecumque caro concupiscit, omni postposita ratione ardencius perfidere conantur.

Cap<sup>m</sup>. xxii. Hic loquitur de variis vindictis occasione peccati in hoc seculo iam quasi cotidie contingentibus, que absque iustorum virorum meritis et oracionibus nullatenus sedari poterunt.

Cap<sup>m</sup>. xxiii. Hic loquitur sub compendio recapitulando finaliter de singulari mundi gradibus, qui singillatim a debito deuiantes ordine virtutes diminuendo extingunt, et ea que viciorum sunt augmentando multipliciter exercent.

Cap<sup>m</sup>. xxiiii. Iam in fine libri loquitur magis in speciali de patria illa in qua ipse natus fuerat, vbi quasi plangendo conqueritur qualiter honores et virtutes veteres a variis ibidem erroribus superuentibus, vt dicitur, ad presens multipliciter eneruantur.

Cap<sup>m</sup>. xxv. Hic loquitur qualiter ea que in hoc presenti libello quasi sompniando de mundi scripsit erroribus, non ex se tantum, set ex piebis voce communi concepit. Consultit tamen finaliter quod, si quis inde se culpabilem senciat, priusquam nobis peiora succedant tempora, suam ex humili corde culpam penitens emendet.

xvii. 3 eciam S eciam in speciali CED xviii. 1 quod quamuis] quomodo D  
xix. 2 S has lost two leaves (resoluitur—Lib. I. i. 18). Text follows C xxiii. 4  
excercent CE xxiiii. 2 ipse] ille D 4 enaruantur C xxv. 5 penitus CE

AD MUNDUM MITTO MEA IACULA, DUMQUE SAGITTO;  
AT VBI IUSTUS ERIT, NULLA SAGITTA FERIT.  
SED MALE VIUENTES HOS VULNERO TRANSGREDIENTES;  
CONSCIUS ERGO SIBI SE SPECULETUR IBI.

These four lines (with picture below) are found here in CEG. L has them later,  
Lib. III. cap. i.

Incipit Cronica que Vox Clamantis dicitur.

In huius opusculi principio intendit compositor describere qualiter seruiles rustici impetuose contra ingenuos et nobiles regni insurrexerunt. Et quia res huiusmodi velut monstrum detestabilis fuit et horribilis, narrat se per somnium vidisse diuersas vulgi turmas in diuersas species bestiarum domesticarum transmutatas: dicit tamen quod ille bestie domestice, a sua deuiantes natura, crudelitates ferarum sibi presumpserunt. De causis vero, ex quibus inter homines talia contingunt enormia, tractat viterius secundum distincciones libelli istius, qui in septem diuiditur partes, prout inferius locis suis evidencius apparet.

Incipit prologus libri Primi.

**S**cripture veteris capiunt exempla futuri,  
Nam dabit experta res magis esse fidem.  
Vox licet hoc teneat vulgaris, quod sibi nullum  
Sompnia propositum credulitatis habent,  
Nos tamen econtra de tempore preteritorum  
Cercius instructos littera scripta facit.  
Ex Daniele patet quid sompnia significarunt,  
Nec fuit in sompnis visio vana Ioseph:  
Angelus immo bonus, qui custos interioris  
Est hominis, vigili semper amore fauet;  
Et licet exterius corpus sopor occupet, ille  
Visitat interius mentis et auget opem;  
Sepeque sompnifero monstrat pñenostica visu,  
Quo magis in causis tempora noscat homo.  
Hinc puto que vidi quod sompnia tempore noctis  
Signa rei certe commemoranda ferunt.  
Visio qualis erat, quo tempore, cuius et anno  
Regis, in hiis scriptis singula scire potes.  
Scribentis nomen si queras, eccé loquela  
Sub tribus implicita versibus inde latet.

Title Incipit—dicitur CE om. GDL Prol. Heading om. L 4 narrat  
CE fingit GD 5 bestiarum species GD 7 sumperunt E

Nota de nomine  
Iohannis Gower.

Primos sume pedes Godefridi desque Iohanni,  
Principiumque sui Wallia jungat eis:  
Ter caput amittens det cetera membra, que tali  
Carmine compositi nominis ordo patet.  
Tu tamen ad scribe laudem nil pone, sed illam  
Concipe materiam quam tibi scripta dabunt.  
Nam nichil vt lauder scribam, curamque futuri  
Nominis vt queram non meus actus habet.  
Quos mea terra dedit casus nouitatis adibo,  
Nam pius est patrie facta referre labor.  
Quod michi flere licet scribam lacrimabile tempus,  
Sic quod in exemplum posteritatis eat.  
Flebilis vt noster status est, ita flebile carmen,  
Materie scripto conueniente sue.  
Omne quod est huius operis lacrimabile, lector  
Scriptum de lacrimis censeat esse meis:  
Penna madet lacrimis hec me scribente profusis,  
Dumque feror studiis, cor tremit atque manus.  
Scribere cumque volo, michi pondere pressa laboris  
Est manus, et vires subtrahit inde timor.  
Qui magis inspiciet opus istud, tempus et instans,  
Inueniet toto carmine dulce nichil.  
Si vox in fragili michi pectore firmior esset,  
Pluraque cum linguis pluribus ora forent,  
Hec tamen ad presens mala, que sunt temporis huius,  
Non michi possibile dicere cuncta foret.  
Pectora sic mea sunt limo viciata malorum,  
Quod carmen vena pauperiore fluet.  
Poplice contracto restat grandis via Rome,  
Et modico sensu grande libellus opus.  
Sic veniam pro laude peto, mea namque voluntas  
Est bona, sit quamvis sensus ad acta minor.  
Adde recollectis seriem, mea musa, Latinis,

<sup>21</sup> Godefri des atque D margin Nota de nomine Iohannis Gower  
CE Nota nomen L Nomen compilatoris est Iohannes Gower vt patet in  
his tribus versibus T om. GD <sup>25</sup> adscrive EL ascribens D <sup>27</sup> nil  
vt laudes D nichil vt laudes L <sup>3a</sup> Sicque DL <sup>36</sup> censeat C  
sensiat GEH; <sup>26</sup> senceat T sensiat D(f. m.)L <sup>37</sup> Penna madet  
C (ras.) E Sepeque sunt GDLTHs <sup>27</sup> hec de D <sup>38</sup> Text C (ras.)E  
Humida fit lacrimis sepeque penna meis GDLTHs <sup>44</sup> fauent DHs  
49 contracto DLHs

Daque magistra tuo congrua verba libro.  
Sompnia vera quidem, quorum sentencia cordis  
Intima conturbat, plena timore canam :  
Insula quem Pathmos suscepit in Apocalipsi,  
Cuius ego nomen gesto, gubernet opus.

Hic declarat in primis sub cuius regis imperio, in quibus eciam mense et anno, ista sibi accidens, cuius tenor subsequitur, contingebat. Commendat insuper, secundum illud quod esse solebat, fertilitatem illius terre vbi ipse tunc fuerat, in qua, ut dicit, omnium quasi rerum delicie pariter conuenient. Et loquitur vterius de amenitate temporis, necnon et de diei serenitate, que tunc tamen sompnium nimis horribile precedebant.

Incipit liber Primus.

Cap<sup>m</sup>. i. **C**ontigit vt quarto Ricardi regis in anno,  
Dum clamat mensem Iunius esse suum,  
Luna polum linquens sub humo sua lumina condit,  
Sponsus et Aurore Lucifer ortus erat;  
Surgit ab occasu noua lux, Aurora refulget  
Orbis ab occidua parte, paritque diem;  
Luce diem reparat mirandaque lumina prebet,  
Dum fuga dat noctem, luxque reuersa diem.  
Clara repercuesso radiabant lumina Phebo,  
Et facies celi leta refulsit humo :  
Splendida mane videt pulsis Aurora tenebris,  
Quam spectans hilarem quisquis in orbe colit:  
Purpureas splendore fores et plena rosarum  
Atria glorificat de nouitate sua.  
In curru Phebus claris rutilante smaragdis  
Estuat in Cancro feruidus igne nouo.  
Omnia fecundat, nutrit, fouet, auget, habundat,  
Cunctaque viuificat, que mare, terra creat.  
Que melius poterant ornant redolencia currum,

56 conturbat D conturbant CEGLT 58 Huius ergo DL  
Cap. i. Heading 1 eciam om. D 3 contingebant DL 4 terre  
illius D 5 omnium E quod omnium CGDLT 7 nimis horribile om. L  
Cap. i. 12 hilarem D hillarem CEL 19 S resumes here

Gloria, lux renitens, splendor et omne decus.  
Aureus axis erat, nec temo fit alter ab auro,  
Splendet et in curuis aurea pompa rotis.  
Per iuga gemmatus argenteus ordo choruscat,  
Crisolitis radios prebuit vnde suos ;  
Ignitique suum currum post terga vehentes  
Aera discurrunt celitonantis equi.

Purpurea residens velatus veste refulsit,  
Cuius in aspectu secula cuncta patent.  
Ante suum solium gradiuntur quatuor anni  
Tempora, que variis compta diebus erant :  
Tunc tamen a dextris stetit alba propinquier estas  
Serta gerens, et eam cuncta creata colunt.  
Omnia tunc florent, tunc est noua temporis etas,  
Ludit et in pratis luxuriando pecus.  
Tunc fecundus ager, pecorum tunc hora creandi,  
Tunc renouatque suos reptile quodque iocos ;  
Prataque pubescunt variorum flore colorum,  
Indocilique loquax gutture cantat ausi ;  
Queque diu latuit tunc se qua tollat in auras  
Inuenit occultam fertilis herba viam ;  
Tuncque pruinatos mollitur Lucifer agros,  
Inque suos pullos concitat ales opus.  
Tunc glacialis yemps canos hirsuta capillos  
Deserit, et placidi redditus orbis erat :  
Quicquid yemps operit gelido de frigore cedit,  
Et periunt lapse sole tepente niues.  
Arboribus redeunt detonse frigore frondes,  
Regnat et estatis pompa per omne nemus :  
Rore refudit humum, dat terre gramina, siluis  
Frondes, arboribus pomaque grata satis :  
Mille fuit variis florum renouata coronis,  
Herbifer in cuius lege virescit ager.  
Flos sua regna petit, florumque coloribus amplius  
Ludit ager, que suus gaudia vultus habet.  
Iam legit ingenua violas sibi compta puella  
Rustica, quas nullo terra serente vehit.

21 themo CE 40 Text CEGT ffertilis occultam inuenit herba  
viam SD ffertilis inuenit occultam herba viam L 41 pruinatos  
om. E (blank)

Tot fuerant illuc quot habet natura colores,  
Pictaque dissimili flore superbit humus:  
O quia digestos volui numerare colores,  
Nec potui, numero copia maior erat.

60

Orta fragrant clausis sicut paradisus in ortis  
Candida cum rubeis lilia mixta rosis:  
Deforis in campis stat primula cincta ligustris,  
Omnis et hec herba quam medicina probat:  
Herbarum vires fuerant, que semine, succo,  
Seu radice queunt ferre salutis opem:  
Purpureum viridi genuit de cespite florem,  
Quam natura suis legibus ornat, humus:  
Balsama, pigmentum, cum nardo cassia, mirra  
Cum gutta sedes hic statuere suas. 70  
Purpuree viole, rosa rocida, candida semper  
Lilia certabant hunc habitare locum.  
Ille locus solus sibi vendicat omne quod aer,  
Quod mare, quod tellus, nutrit habetque bonum:  
Hic decus est orbis, flos mundi, gloria rerum,  
Delicias omnes, quas petit vsus, habet;  
Insitus arboribus, herbis plantatus, et omni  
Munere prepollens, que sibi poscit homo.

Est alter paradisus ibi, nam quicquid habere  
Mens humana cupit, terra beata parit, 80  
Fontibus irriguis fecundus, semine plenus,  
Floribus insignis fructiferisque bonis;  
Terraque cum rore dulces commixta vigores  
Concipit, et varia gramina nata fouet.  
Frondibus inde nemus vestitur, floribus ortus,  
Graminibus campus, seminibusque solum;  
Siluaque fronde suo renouatur, et omne virescit  
Pratum, quod lutea sorde subegit yemps.  
Mulcebant zephiri natos sine semine flores,  
Et calor a superis lucidus ornat humum.  
Tempus et in volucres cantum fundebat, et altis  
Vocibus ex variis personat omne nemus:  
Semper idem repetens cuculus de gutture plano  
Clamat, et est testis temporis ipse noui:  
Nuncius Aurore modulans volutabat Alauda

80

90

Desuper, et summi cantat in aure dei;  
Turtur et ex viridi congaudens tempore fidum  
In maris obsequium cor vovet ipsa suum;  
Amissamque sue suplet Philomena loquele  
Naturam, que suis predicit acta notis: 100  
Concinit et Progne de virginitate sororis  
Lesa, dum tanti sunt in amore doli.  
Milia mille sonant volucrum velut organa cantus,  
Et totidem flores lata per arua fragrant:  
Inter eos certant, ferat vtrum cantus ad aures  
Aut odor ad nares de bonitate magis:  
Lis tamen ipsa pia fuit et discordia concors,  
Dum meriti parilis fulsit vterque status.

Cum natura sue legis dulcedine silvas  
Replet, et ex omni parte resultat ausi; 110  
Cum decus et florum vastos sic induit agros,  
Ac herbosa coma florida prata colit;  
Flat leuis in ramis resonans quam dulciter Eurus,  
Dulcis et in ripa murmure plaudit aqua;  
Omneque sic animal placido de tempore gaudet,  
Piscis et ob solem fluminis alta petit;  
Non fuit hoc viuens, cui non renouata voluptas  
Temporis ex aura dulciter huius erat.  
Talia cumque videns oculus letatur, et illa 120  
In thalamum cordis ducit ad yma viri;  
Auris et auditu cordis suspiria pulsat,  
Quo Venus in iuuene poscit amoris opem.  
Ecce dies talis fuit, in qua tempus amenum  
Me dabat in lusum girouagare meum.

Omnia finis habet: aderat sic vespera tandem  
Cum solet occasus intitulare diem:  
Illa quieta dies solitas compleuerat horas,  
Dulcibus atque silent organa clausa netis:  
Merserat in tenebris nox feruida lumina solis,  
Et sopor ad lectum strinxerat ire virum: 130  
Deficiente die tunc flexi corpus ad ymum,  
Quo lassata solet membra fouere quies.

<sup>100</sup> sue... vocis D <sup>101</sup> Progne om. D <sup>106 ad]</sup> aut S <sup>113 quam]</sup>  
qui DH<sub>2</sub> <sup>117</sup> veniens D <sup>cui]</sup> cum DH<sub>2</sub> <sup>voluptas om. D</sup>  
<sup>124</sup> girovagando D <sup>giroviagare L</sup>

Tristia post leta, post Phebum nebula, morbi  
Tempora post sana sepe venire solent:  
Non ita clara dies fuerat transacta per ante,  
Quin magis obscura noctis ymago venit.  
Ecce tegunt nigre latitancia sidera nubes,  
Aurea luna fugit, nox caret igne suo.  
Flexerat obliquo plastrum temone Boetes,  
Nec via directa tunc fuit acta poli; 140  
Infortunata set constellacio centrum  
Dissoluens rabide tartara misit humo.

Prima quies aberat, nec adhuc mea lumina mulcet  
Sompnus, quem timide mentis origo fugat:  
En coma sponte riget, tremit et caro, cordis et antrum  
Solutur, et sensus fertur ad instar aque;  
Sic magis assidua iactatus mente reuolui,  
Quid michi tam subiti causa timoris erat:  
Sic lecto vigilans meditabar plura, que mentem  
Effudi, variis corde vagante modis. 150  
Tempus erat quo cuncta silent, quo mente sopita  
In vaga nonnulla sompnia corda ruunt;  
Set neque sompnus adhuc neque sompnia me laquearunt,  
Dum pauor ex subito spondet adesse malum.  
Noctis erat medium, grauis et palpebra querelas  
Ponderat ex oculis, set mora tardat opem.  
Sic vigil in curis consumpsi tempora noctis,  
Nescius ex quali sorte propinquat opus:  
Tempora preterita vidi, metuique futura; 160  
Tandem sic oculos clauserat vmbra meos.  
Sic, vbi decepte pars est michi maxima noctis,  
Acta, subit subito lumina fessa sopor:  
Exiguam subii requiem, dum Lucifer ignem  
Prouocat Aurore, sompnia tuncque fero.

Hic incipit sompnium, vbi quodam die Martis dicit se varias  
vulgi turmas vidisse, quarum primam in similitudinem asinorum  
mutari subito speculabatur.

Cap<sup>m</sup>. ii. Dumque piger sompnus inmotos fixerat artus,  
Iam fuerat raptus spiritus ipse meus:

145 in antrum D 163 om. L 165-170 om. L 165 Cumque DT

Vt flores legerem me campis ire putabam,  
Quando suam propriam Mars colit ipse diem.  
Nec michi longa via fuerat, dum proxima vidi 170  
Innumerabilia monstra timenda nimis,  
Diuersas plebis sortes vulgaris iniquas  
Innumeris turmis ire per arua vagas:  
Dumque mei turbas oculi sic intuerentur,  
Miror et in tanta rusticitate magis,  
Ecce dei subito malediccio fulsit in illos,  
Et mutans formas fecerat esse feras.  
Qui fuerant homines prius innate racionis,  
Brutorum species irrationis habent:  
Diuersas turmas diuersaque forma figurat,  
Quamlibet et propria condicione notat. 180  
Sompnia pondus habent, hinc est quod mira reuoluam,  
Vnde magis vigilans sum timefactus adhuc.

Elatos asinos subita nouitate rebellis  
Vidi, nec frenis quis moderauit eos;  
Viscera namque sua repleta furore leonum  
Extiterant predas in repetendo suas.  
Perdidit officium capitis sine lege capistrum,  
Dum saltant asini cuncta per arua vagi;  
Terruit en cunctos sua sternutacio ciues,  
Dum geminant solita voce frequenter yha. 190  
Sunt onagrique rudes asini violenter, et omnis  
Que fuit vtilitas vtilitate caret.  
Amplius ad villam saccos portare recusant,  
Nec curuare sua pondere dorsa volunt;  
Set neque rurales curant in montibus herbas,  
Ammodo set querunt deliciosa magis;  
A domibus alios expellunt, ius et equorum  
Iniuste cupiunt appropriare sibi.

Presumunt asini gemmatis ammodo fungi 200  
Sellis, et comptas semper habere comas:  
Vt vetus ipse suam curtam Burnellus inepte  
Caudam longari de nouitate cupid,  
Sic isti miseri noua tergaque longa requirunt,  
Vt leo de cauda sint et Asellus idem.  
Pelle leonina tectum se pinxit Asellus,  
Et sua transcendit gloria vana modum:

Cauda suo capiti quia se conferre nequibat,  
Contra naturam sorte requirit opem.  
Attemptant igitur fatui, poterint ut aselli  
Quod natura vetat amplificare sibi : 210  
Quam sibi plantauit caudam qui contulit aures  
Non curant, set eam vilius esse putant.  
    Voluere plura solet animi meditacio stulta,  
Que magis impediunt quam sua vota ferunt :  
Omnes stulticia stultis innata dolores  
Parturit, et finem prestat habere malum.  
Magnos magna decent et paruos parua, set illi,  
Qui sunt de minimis, grandia ferre volunt.  
Mens oritur subito, diuturnos que parat actus,  
Incipit et leuiter que sine fine grauant : 220  
Sic asini fatui, quos fastus concitat, omni  
Postposita lege condita iura negant.  
Hos intemperies sic aeris inficiebat,  
Quod transformati sunt quasi monstra michi :  
Auribus in longis potui quos noscere dudum  
In frontis medio corna longa gerunt.  
Ille biceps gladius non scindit forcitus illis,  
Vulneris atque noui fusa crux madent.  
Qui de natura pigri tardare solebant,  
Prcurrent ceruis de leuitate magis. 230  
Nonne leui saltu vincit Leopardus Asellum ?  
Tunc tamen ad saltum vicit Asellus eum.  
Longior in cauda fuerat tunc vilis Asellus  
Quam fuit insignis, prodolor ! ipse leo.  
Quicquid velle iubet asinorum legis habebat  
Vires, et nouitas ius vetus omne fugat.  
Ut stolidos tamen atque rudes hos mos asininus  
Signabat, quod eis nil racionis erat :  
Et quia sic fatuos vidi timui magis ipsos,  
Nec dabat vterius pes michi fidus iter. 240

Hic dicit se per sompnium secundam vulgi turmam in boues  
vidisse mutatam.

Cap<sup>m</sup>. iii. Cum quibus ecce boues veniunt quos cuspidi nullus  
Pungere tunc ausit, immo timebat eos :

<sup>209</sup> possint D

<sup>231</sup> Non leuiter D

<sup>232</sup> vincit D

Contra iura bouis bos spernit habere bubulum,  
Ammodo nec duci de nouitate sinit.  
Cornutando furit hodie bos qui fuit heri  
Per cornu leuiter ductus ut arua colat :  
Qui fuerant domiti nuper, modo fronde minaci  
Cornibus elatis debita iura negant :  
Amplius ex aratro se dicunt nolle iugari,  
Colla set erecta libera ferre volunt : 250  
Ammodo non comedunt paleas neque stramina grossa,  
Est vbi set granum de meliore petunt.  
Sic transformatas formas natura reliquit,  
Et monstris similes fecerat esse boues ;  
Vrsinosque pedes caudas similesque draconum  
Gestant, quo pauidus omnis abhorret eos :  
Sulphureas flamas emittunt oris ab antro,  
Quas, vbi disperse sunt, aqua nulla fugat :  
Sit lapis aut lignum, fuerit set quicquid ab estu  
Tactum, comminuens ignea flamma vorat. 260  
Hec armenta nequit aliquis defendere pastor,  
Quin magis in dampnum ruris et vrbis agunt.  
    In Colchos thauri, quos vicit dextra Iasonis,  
Non ita sulphureis ignibus ora fremunt,  
Quin magis igne boues isti crepitancia tecta  
Incendunt, que suis flatibus illa cremant.  
Non Minos taurus, quem Neptunus dedit illi,  
Sic nocuit campis, dum furibundus erat,  
Quin magis arua boues isti vastant, et in vrbe  
Horrida rite suo dampna furore parant. 270  
Nessus et in tauri specimen mutatus et armis  
Victus ab Eacide, dum sibi bella mouet,  
Tam neque Centauri nec et ipse ferox Minotaurus  
Hoc metuenda viris tempore bella dabant,  
Quin magis ecce boues isti violenter aratra  
Linquentes, hominum constituere necem.

Arma sui vacuos operis dispersa per agros  
Linquent, nec solitum ius sibi vomer habet ;  
Ecce iacent rastri, sic sarcula sicque ligones,  
Buris, trabs, crapulus sunt neque restis eis ; 280

<sup>259</sup> Sic DHs <sup>263</sup> thauri SHs <sup>tauri CEGDT</sup> <sup>280</sup> crapulus SCEGTHs  
<sup>\*apulus D</sup>

Nil iuga, nil torquis, nichil aut retinacula prosunt,  
 Nil sibi paxillus, temo vel ansa iuuant:  
 Vsus abest aratri, vacat et dentale relictum,  
 Nec sua tunc crates debita ferre sinunt:  
 Currus et auriga cessant, cessatque caretta,  
 Que nichil vterius utilitatis habent:  
 Agricoleque bonis iter vnum legibus absque  
 Restat, et indomiti sunt racionis idem.  
 Sic, vbiunque vides, campi cultore carentes,  
 Vastaque, que nemo vendicat, arua iacent: 290  
 Expectant frustra promissas horrea messes,  
 Annua si talis regula seruet agros.  
 Bos leo, bos pardus, bos vrsus, set bouis ipsum  
 Constat naturam non meminisse suam.  
 Sic ego pestiferos errare boues quia vidi  
 Indomitos sulco, mens mea mota fuit.  
 Prodolor! o! dixi, cessabit cultus agrorum,  
 Quo michi temporibus est metuenda fames.

Hic dicit se per sompnium terciam vulgi turmam in porcos  
 vidisse transmutatam.

Cap<sup>m</sup>. iii. Sompnus adhuc creuit, et lassos occupat artus,  
 Auget et vterius sompnia plura michi. 300  
 Cristatos porcos, furiosos, demone plenos,  
 Post ea percepi stare frequenter ibi:  
 Associata simul fuit horum concio multa,  
 Aera stercoribus inficiendo suis.  
 Porculus en porcum furiens et aperculus aprum  
 Consequitur, nec eos amplius artat ara.  
 Federa cum socio dat verres iuncta nefrendo,  
 Vt magis euertant congradiuntur humum;  
 Scropha que Sus sociam porcam sibi consociarunt,  
 Que magis vt noceant, plura maligna mouent. 310  
 Inmundos porcos sic vidi ledere mundum,  
 Vix quod erat mundus tutus vt obstet eis:  
 Non erat aque bladis hominum porcarius vilus,  
 Qui tunc de solito more fugauit eos;  
 Non erat in nares torques qui posset eorum

302 Postea CED

Ponere, quin faciunt fossa timenda nimis;  
 Nullus et hirsuta nexus constringere colla  
 Tunc potuit, set eis omne licebat iter.  
 Deuia natura sic errat ab ordine, mores  
 Porcus quod porci non habet, immo lupi. 320

Inter eos aper vonus erat quem Kancia duxit;  
 Terra sibi similem ducere nulla potest.  
 Emicat ex oculis, spirat quoque pectore flamas,  
 Cuius ab igne procul vix fuit vna domus:  
 Fulmen ab ore volat, vrbis afflatibus ardet,  
 Ac elephantinis dentibus arma parat:  
 Feruida cum rauco latos stridore per armos  
 Spuma, set humano sanguine mixta, fluit;  
 Stridentemque nouo spumam cum sanguine fundit,  
 Quem fera de iugulo plebis in arua ruit: 330  
 Que ferit ex capite fortissima subruit ipse,  
 Preualet insultus vincere nemo suos:  
 Erigit ad bellum se signifer horrida ceruix,  
 Inque furore suo tigridis instar habet;  
 Et sete rigidis similes hastilibus horrent,  
 Que magis inferni noxia signa gerunt.  
 Sicut onusta caretta fremit, seu frendet aquarum  
 Cursus, sique suus murmur passus habet:  
 Hec fera crescentes segetes proculat in herba,  
 Et cererem paleas triuerat inque leues. 340  
 Creuit aper quod eo maiores herbida monstro  
 Educat agrestes pascua nulla feras.  
 Non locus est tutus in quem fera tanta minatur,  
 Sit nisi celestis, quo mala ferre nequit.  
 Ira fere mota furias excedit abissi,  
 Cuius in aduentu patria tota fremit:  
 Ex aquilone tamen verres venit alter, et apro  
 Conuenit, vt pariter fossa parare queant.

Tegia silua ferum tales non protulit aprum,  
 Quamuis in Archadia maximus ille fuit:  
 Non ita commouit in montibus Herculis iram,  
 Gentibus aut aliis obstitit ipse viis,  
 Quin magis hii porci, per sompnia quos ego vidi, 350

321 cancia EH<sup>s</sup> ffrrancia D (*rubricator*) 325 vrbis S urbes (vrbes)  
 CEGDT 349 Regia EDH<sup>s</sup>

Damna ferunt variis milia mille modis.  
 Non aper ille ferox, agitabat quem Meleager  
 In nemorum latebris, tam violentus erat,  
 Quin magis in porcis furit et violencius istis  
 Ira nocet, que suis dentibus arma parat.  
 Nil sedimen vel amurca placet, nichil atque segistrum  
 Confert, vt dictis sint alimenta feris ; 360  
 Non siliquas silue querinas aut sibi glandes  
 Querunt, set rapiunt que meliora vident ;  
 Spisse nil feces, aqua nec communis eorum  
 Sufficit ad potum, set bona vina vorant.  
 Rustica natura, dum fert incognita vina,  
 Mortuus vt truncus ebrietate iacet :  
 Sic gula porcorum viguit, quod in vrbe quietos  
 Vix poterat proprios diues habere cibos.  
 Amplius hospicium porcorum non ara fertur,  
 Sordidus aut puluis lectus habendus eis : 370  
 Immo sua sorde calcarunt regia tecta,  
 Vrbis et in medio nobiliora petunt.  
 Nuper deformes modo transformantur, et illos  
 Qui fuerant porci forma superba colit :  
 Vt leo qui rugit fuerat grunnitus eorum,  
 Ad quorum sonitus concutit Echo nemus.  
 Hii fuerant porci, maledictus spiritus in quos  
 Intravit, sicut leccio sancta refert.

Hic dicit se per sompnium quartam vulgi turmam in canes  
 vidisse mutatam.

Cap<sup>m</sup>. v. Post vidique canes stantes quasi millia dena  
 Latrantes, que suis vocibus arua tremunt. 380  
 En dederat cantus lucis prenuncius ales,  
 Aera iam furiens verberat ira canum.  
 Mica set a mensa dominorum que cadit esca  
 Non fuit hii canibus, ossa nec ulla placent ;  
 Faucibus immo suis meliora cibaria poscunt,  
 Ac vbi perueniunt singula crassa vorant.  
 Gentiles tamen ecce canes hii associati  
 Non sunt, set viles quos scola nulla docet :

379 vidique] vidi D

Hii neque venatu spaciuntur, set neque gaudent  
 De cornu, nec eis quid nisi vile manet : 390  
 Non nemus vt leporem capiant transcurrere querunt,  
 Nec ceruos agitant de leuitate sua ;  
 Set magis ad talos retro latrare virorum  
 Affectant, et eis tedia multa ferunt.  
 Cutte que Curre simul rapidi per deuia currunt,  
 Linquentes miseras degenerando casas :  
 En pastoris adest canis, et qui nocte latrando  
 Atria conseruat, hii duo sepe grauant :  
 Omnis pistrine proprium pariterque coquine 400  
 Rupta cathena suum laxat abire canem :  
 Carnificum grandes vidique venire molosos,  
 Atque molendini nec manet ipse domi ;  
 Nec stabulum veteres poterat retinere latrantes,  
 Quin veniunt sociis et sociantur eis.  
 Est ibi monoculus, set et ille tripes quasi furtim  
 Claudicat a retro, latrat et ipse comes :  
 Voce sua rauca tunc rinx ringendo simumque  
 Deserit, atque loca spirat habere noua.  
 Hii sunt quos dora nullus planare valebit,  
 Tangere nec caudas, nec retinere caput ; 410  
 Irati semper denudant nam tibi dentes,  
 Nec sua rusticitas quicquid amoris habet.

Omnis conueniunt iuuenes que senes, et in vnum  
 Concurrunt, que sua morsibus ora parant :  
 Erectis caudis gradiuntur more superbo,  
 Est nichil hii sanum quod lacerare queunt.  
 Aprini dentes deformant ora canina,  
 Est quorum morsus pestifer atque grauis :  
 Quanto plus escas sumunt minus hii saturantur,  
 Insaciata fames semper inheret eis. 420  
 Hii quibus in nocte solito simus extitit hospes,  
 Mollibus in lectis sordida membra fouent.  
 Copia tanta fuit, quod eorum nullus habebat  
 Respectum proprii quomodocumque status.  
 O tunc si quis eos audisset, quomodo mundus  
 Vocibus attonitus hic et vbique fremit,  
 Dicere tunc posset similes quod eis viulatus

396 Linquendo S

\*\*\*

D

Auribus audiuit nullus ab ante status.

Cumque canum strepitus Sathane descendit in aures,  
Gaudet et infernus de nouitate soni, 430  
Cerberus ecce canis baratri custosque gehenne  
Prebuit auditum letus et inde fuit;  
Aque suo collo, quibus extitit ipse ligatus,  
Ignea disruptis vincla furore suo;  
Exiliensque statim centri penetravit abissos,  
Promptus et in terras acceleravit iter.  
Sic socius sociis, sic par paribus sociatur,  
Prefuit et canibus dux malus ipse malis;  
Dux ita tartareus violens violencius omne  
Vertit, et ex homine conficit ipse canem. 440

Dumque canis rabidi sumpsit mutata figuram,  
Ipsa dolens Hecuba non ita sua fuit,  
Quin magis in canibus istis fuit ira, que morsus  
Figere quo poterant singula membra terunt.  
Tale canes, Cadmi qui dilaniare nepotem  
Acteon instabant, non coluere nephias.  
Ille gigas Gereon ingens, Hispania dudum  
Quem genuit, capita tria canina gerens,  
Non ita sanguineos dentes de morte virorum  
Exacuit, nec ita pestifer ille fuit, 450  
Quin magis humana strages madefacta cruento  
Fertur ab hiis canibus de quibus ipse loquor.  
Bestia pestifera, nuper quam misit Athenas,  
Destruat ut ciues, mota Diana palam  
Vrbis in exilium, neque talia bella paravit,  
Nec sub ea tanti procubuere viri:  
Nec Cephalii canis ipse, feram qui prorsus ab urbe  
Depulit, in nullo robore talis erat,  
Sicut erant isti, de quorum morsibus omnis  
Ciuis et ingenuus contremuere magis. 460

Hic dicit se per sompnum quintam vulgi turmam in murelegos et vulpes vidisse mutatam: dicit murelegos, ut seruos domesticos; dicit vulpes, quia fures ruptis ubique Galois liberi tunc eos comitabantur.

Cap<sup>m</sup>. vi. Taliter in sompniis cum me vidiisse putassem,  
Visio discurrens en noua monstra dabat.

431 Iehenne C 447 hyspania CE

Vulpes, murelegos, numero sine post venientes  
Vidi, qui canibus se tribuere pares.  
Quod super est terram nichil aut quod subitus eisdem  
Occultum latuit, set magis omne vident:  
Discurrunt campis, scrutantur et inde cauernas,  
Et nemus et pratum quid sit ubique petunt:  
Vrbs neque castellum lapidum nec in ordine murus  
Denegat introitum, quando venire volunt: 470  
Hii penetrant cameras fortes, sine claqueque cistas  
Intrant, ut preda stet patefacta sua.  
Dentibus ex ferro longis que ferocibus omnes  
Corrodunt artes, quod nichil obstat eis.  
Hoc tamen in morsu viuens quod virus eorum  
Leserat, ad vitam non medicina iuuat:  
Mortis habent morsum, nec scorpio plus grauat illis;  
Quo veniunt tales, mors venit ipsa comes.

En statuant cani nemoris dimittere vulpes  
Antra, que gentiles vrbis adire domos: 480  
Que nocturna solent latitanter furtar parari,  
Illa dies clara tunc manifesta parat.  
Ammodo quid sibi sunt nec ouis nec pauper ouile,  
Nec sibi de prediis pullus et agna placent,  
Que tamen existunt maioris in vrbe valoris,  
Hec rapiunt, nec eis lex aliqualis obest.  
Qui suberat terra seruiliis vulpis in aulas  
Scandit, et hospicium liber ubique petit:  
Qui prius extiterant canibus vulpes inimici,  
Mutua concordes federa pacis habent: 490  
Fit lupus, atque fere rapidus vestigia seruat,  
Qui solet ante magis esse bidente pius.

Hii quoque murelegus sociatur, et horrea linquens  
Nititur in vetitum rusticus ipse malum.  
Ammodo murelegus desistit prendere mures,  
Nec natura suum curat habere modum:  
Qui solet a domibus expellere rite nocua,  
Tunc nocet, et nocuas prouocat esse domos.  
Non ita mordebat mures, qui nuper in vrbeam  
Accharon intrarunt, quo fuit archa dei, 500

465 super est S superest CED 468 sit CEDHs sic SGT  
caui (?) C canis D 479

Illa nec hos rabies sic terruit Accharonitas,  
Hoc neque vindicta tempore talis erat,  
Quin furor ex istis que vidi lurida monstris,  
Plus grauat et ciues terret vbique magis.

Hic dicit se per sompnium sextam vulgi turmam in aues  
domesticas vidiisse mutatam, quibus dicit quod bubones, id  
est predones, commixti associebantur.

Cap<sup>m</sup>. vii. Res michi mira fuit, dum talia prospiciebam,  
Et stupor in mente cordis ad yma ruit.  
Non erat ex brutis animal quodcunque creatum,  
Quod de seruili condicione fuit,  
Quin genus in campus vidi de talibus omne,  
Mixtaque sic pariter sunt metuenda magis. 510  
Per iuga, per colles, per deuia queque locorum  
Diruptis stabulis soluitur omne pecus:  
Ex omni genere venit incola rusticitatis,  
Maior et est subito quam seges orta solo.  
Nunc huc nunc illuc trepidus dum lumina volui,  
Aspicio suis singula monstra locis,  
Affuit en auium mutata domestica turba,  
Quorum ductores gallus et ancer erant.  
Qui residere domi que sumum calcare solebant,  
Presumunt aquile sumere iura sibi: 520  
Falconis rostrum rapuit sibi gallus et vngues,  
Ancer et ex alis sidera tacta cupit:  
Et sic de bassis succumbunt alta, que cara  
Vilibus ex causis exule lege cadunt:  
Nam quo non poterant animalia figere gressus,  
Ut predas capiant, hii super omne volant.  
Mutatos subito vidi variare colores  
Ancoris et galli, quos noua forma rapit:  
Transformat corui noua penna nigredine gallum,  
Ancer et in Miluum vertitur ecce statim. 530  
Non tantum pennas sibi sumunt sic alienas,  
Immo modos similes condicione pares:  
Quos natura prius pascebatur ad horrea granis

502 MS. Harl. 6991 (H) begins here

Cap. vii. Heading a idest HGD      3 associebantur SGH      associabantur  
CED      associantur T

Contentos minimis, alterat error eos;  
Nam magis vt comedant sibi grossa cadauera poscunt  
Corporis humani, que sibi sola placent.  
Qui patuere pii dudum cucumque vocanti,  
Spectabantque manus que tribuere cibos,  
Hii magis ecce feri falconibus atque rapaces  
Pretendunt predas vi rapuisse suas. 540

Qui solet in nocte gallus cantare, quod omnes  
Eius in auditu gaudia ferre solent,  
Clamat vt infernus, superatque tonitrua vocis  
Horruda terribilis eius ab ore sonus;  
Multociensque suum fera Coppa pedisseca gallum  
Prouocat ad varia que putat esse mala;  
Quod nequit in factis ex dictis garrula suplet,  
Ad commune nephas milleque sola mouet.  
Ancer et ipse suam, cum qua se miscuit, aucam  
Linquit, et in predam spirat vbique nouam: 550  
Sibula per tenua nuper qui terruit ancer  
Infantes tantum simplicitate sua,  
Nunc nimis horribili sonitu perterret adultos,  
Atque magis fortes dilacerare cupit.

Nuper et hec volucrum bubones que solet ira  
Spernere, cessat, et est tunc amor inter eos.  
Esse dies licitos statuunt, quibus atra frequenter  
Furtiuas dederat noctis ymago vias:  
Conuolat vt socius auium de carcere bubo,  
Liber et in campus associatur eis. 560  
Hoc fuerat tempus, quo bubo per aera pennas  
Colligat, vt predas tuta mouere potest:  
Ista tamen turma pennata suas acuebat  
Pennas cum ferro, quo moreretur homo.

Hic dicit se per sompnium septimam vulgi turmam in muscas  
et ranas vidiisse mutatam.

Cap<sup>m</sup>. viii. Sompnus continuus mea sompnia continuauit,  
Et dabat viterius plura videre noua.  
Amplior vt rabies monstrorum multiplicetur,  
Et quod iniqua magis sit manus aucta malis,  
En venit omne genus muscarum, que lacerare  
Morsibus et stimulis omne salubre vount; 570

En redeunt vaspe que nuper Vaspasianum  
Torquebant, varia dantque nouata mala.  
Horrida muscarum furiens tunc copia tanta  
Creuit, vt a stimulo vix latitauit homo:  
Vt furit infernus, agitant hinc inde dolores,  
Omnia prestimulant, omnia lesa dolent.

Rana quidem musce plures sociata pverget,  
Hec volat ad facinus, saltat et illa sequens.  
Verterat in ranas quos Latona turba colonum  
Ecce redit, que nouo dampna furore parat. 580  
Vicio ranarum fuit horrida valde nouarum,  
Omnibus in domibus non nocuere parum:  
Omnia fercula, cuncta cibaria rana comedit,  
Fudit et in variis dira venena locis.  
Hee fuerant rane, sterilis quas nuper abhorret  
Egiptus, que pari iam grauitate nocent:  
Non erat in terra sapiens illesus ab istis,  
Plangunt philosophi vulnera facta sibi.  
Rana grauat, set musca magis, violencia cuius  
Spergitur et cuncta torquet vbique loca. 590  
O vindicta grauis, grauior qua nulla perante  
Contigit, vnde viri plus doluere boni!

Non fuit horridior Egipti musca nocua,  
Nec magis ingenuos terruit ipsa viros,  
Quin magis hee furie penetralia cuncta volantes  
Scrutantur que viris dant nocumenta probis.  
Nil seruile tamen ledunt, set ledere querunt  
Quos magis ingenuus ornat in orbe status:  
Sic similis similem, sic rustica rusticitatem  
Turba iuuat, quod eis sint mala mixta malis. 600  
Conueniunt musce, vaspe glomerantur in vnum,  
Aera conturbant improbitate sua.  
Toruus oester adest, ciniphesque, cynomia, bruchus,  
Est quibus vt noceat ipsa locusta comes.  
Vrbibus et villis volant sine lege vagantes,  
Obstabantque suis recia nulla viis:  
A musca carnes tunc servans non fuit olla,  
Vas ita nec clausum, quin noua rima patet,

Muscarum veniens princeps excercitus huius  
Belzebub accessit, heeque sequntur eum: 610  
Ex vario genere muscarum tunc variatur  
Pena, que diuersis dant nocumenta modis:  
Hec ferit, illa rapit, hec mordet et altera pungit,  
Hec saltat que sua de pugione nocet.

Musca grauis pestis, qua nulla nocuior vnquam  
Exitit, aut mundo plus violenta lues:  
Tanta fuit rabies tantus feruorque diei,  
Tutus vt in nullo quis valet esse loco.  
Ex nimio musce subito feruore calescunt, 620  
Quas prius oppressit cana pruina gelu:  
Sic calor estatis subito feruore per agros  
Spersit, yemps modica quas retinere solet.  
O res mira nimis, vaga dumque locusta labores  
Formice proprios vendicat esse suos!  
O res mira nimis, cum musca rapacior omni  
Niso de predis feruet vbique suis!  
O res mira nimis, pennati quando superbe  
Pauonis fastum sordida musca tulit!  
O res mira nimis, cum sit velocior alis  
Musca volans minimis, quam sit Alauda suis! 630  
O res mira nimis, dum viribus atque volatu  
Debilis attemptat vincere musca gruem!  
O res mira nimis, aquilam dum musca supremam  
Precellit, que suum spirat habere gradum!

Hec erat illa dies, que muscas dente caninas  
Misit, et ex viciis conviciauit humum:  
Hec erat illa dies, qua vix fortuna iuuabat,  
Vel loca que musca tangere nulla potest:  
Hec erat illa dies, asino dextrarius in qua  
Succubuit, que suo victus honore caret: 640  
Hec erat illa dies, in qua fera corda leonum  
Subduntur, que boum pressa vigore pauent:  
Hec erat illa dies, qua porcus sordidus omnes  
Sorde sua mundos commaculauit agros:  
Hec erat illa dies, canis in qua forcior vrso

Fit, neque murelego pardus obesse potest:  
Hec erat illa dies, mediis qua liber in aruis  
Ad predas rapidus errat vbique lupus.

Hec erat illa dies, fortem qua debilis, altum  
Infimus, et magnum parvus vbique terit:  
Hec erat illa dies, subito qua maxima quercus  
A modico leuiter stramine vulsa cadit:  
Hec erat illa dies, fragilis qua tegula vires  
Marmoreas vicit viribus illa suis:  
Ecce dies, in qua sua stramina stramen habebat,  
Que nullo precio grana valere putant:  
Hec erat illa dies, qua libertate dolente,  
Gaudet rusticitas rusticitate sua:  
Hec erat illa dies, seruos que duxit in altum,  
Subdidit et proceres, nec sinit esse pares:  
Hec erat illa dies, virtutum dira nouerca  
Que fuit et cuncti mater in orbe mali:  
Hec erat illa dies, qua preterisse futuram  
Est qui vir sapiens omnis in orbe cupit.

Hec erat illa dies, manifestam numinis iram  
Qua pro peccatis quisque venire timet:  
Hec erat illa dies, que sola tremenda per orbem  
Tanquam iudicii plena timoris erat:  
Hec erat illa dies, de qua, si vera fatemur,  
Cronica consimilem nulla per ante docet.  
Heu quam terribilis! heu quam tristis vel amara!  
Quam districta malis tunc fuit illa dies!  
Vlcio celestis grauis et velox et aperta  
Destruat hos per quos sic furit illa dies.  
Tarda sit illa dies, nostro redeat nec in euo,  
Absit et hec causa qua redditura foret:  
Si prius est aliquid nobis hac luce petendum,  
In loca ne redeat amplius ista rogo.

*Hic dicit se per somnium vidiisse, quod, quando omnes  
predicte furie in vnum extiterant congregatae, quidam Graculus*

666 viuere quisque D

Cap. ix. *Heading.* 2 After Graculus H<sub>2</sub> has sibi statum regiminis presumpsit  
aliorum et in rei veritate ille Graculus fuit dux eorum, qui Graculus anglice  
vocatus est a gaye et secundum vulgare dictum appellatur Watte.

auis, anglice Gay, qui vulgariter vocatur Watte, presumpsit  
sibi statum regiminis aliorum, et in rei veritate ille Watte fuit  
dux eorum.

Cap<sup>m</sup>. ix. Copia dum tanta monstrorum more ferarum  
Extitit vnita, sicut arena maris, 680  
Graculus vnu erat edoctus in arte loquendi,  
Quem retinere domi nulla catastrophe potest.  
Hic, licet indignus, cunctis cernentibus, alis  
Expansis, primum clamat habere statum.  
Prepositus baratri velut est demon legioni,  
Sic malus in vulgo prefuit iste malo.  
Vox fera, trux vultus, verissima mortis ymago,  
Eius in effigiem tanta dedere notam.  
Murmura compressit, tenuere silencia cuncti,  
Eius vt auditus sit magis ore sonus: 690  
Arboris in summum concendit, et oris aperti  
Voce suis paribus talia verba refert:  
'O seruile genus miserorum, quos sibi mundus  
Subdidit a longo tempore lege sua,  
Iam venit ecce dies, qua rusticitas superabit,  
Ingenuosque suis coget abire locis.  
Desinat omnis honor, periat ius, nullaque virtus,  
Que prius extiterat, duret in orbe magis.  
Subdere que dudum lex nos de iure solebat,  
Cesset, et vltierius curia nostra regat.' 700  
Singula turba silet, notat et sibi verba loquentis,  
Et placet edictum quicquid ab ore tulit:  
Vocabus ambiguis deceptam prebuit aurem  
Vulgus et in finem nulla futura videt.  
Exaltatus enim cum sic de plebe fuisset,  
Ad se confestim traxerat omne solum:  
Nam sine consilio cum plebs sibi colla dedisset,  
Conuocat hic populum iussaque verba dedit.  
Vt solet ex magno fluctus languescere flatu,  
Et velut a vento turbinis vnda tumet, 710  
Vocis in excessu reliquos sic commouet omnes  
Graculus, et mentes plebis ad arma trahit:  
Stultaque pars populi que sit sua curia nescit,  
Que tamen ipse iubet iura vigoris habent.  
Cap. ix. *Heading.* 3 Gay SH Geay CT a Geay D Iay E

Dixerat ille, 'Feri,' ferit ille;—'Neca,' necat alter;—  
 'Solute nephas,' soluit, quis neque fata vetat.  
 Auribus extensis quemcumque vocat furor ille  
 Audit, et ad vocem concitus vrget iter:  
 Sic homo tunc multus suadente furore coactus  
 Sepe suam posuit mestus in igne manum. 720  
 Omnes, 'Fiat ita,' proclamant vocibus altis;  
 Est maris vt sonitus, sic fuit ille sonus.  
 Ex nimio strepitu concussus vocis eorum  
 Vix potui tremulos ammodo ferre pedes;  
 Attamen a longe prospexi qualiter ipsi  
 Complexis manibus mutua pacta ferunt.  
 Hoc etenim dicunt, quod quicquid perstat in orbe  
 Ingenui sexus rustica turba ruet.  
 Hiis dictis pariter omnes gradiuntur in vnum,  
 Ductor et inferni dicit iniquus iter. 730  
 Nubes nigra venit furiis commixta gehenne,  
 Cordibus infusum que scelus omne pluit;  
 Roreque sic baratri fuerat tellus madefacta,  
 Crescere quod virtus ammodo nulla potest:  
 Omne tamen vicium, quod homo perfectus abhorret,  
 Crescit, et ex illo tempore corda replet.  
 Fecerat incursus tunc demon meridianus,  
 Inque dolente die torta sagitta volat:  
 Ipse solitus adest Sathanas omnisque caterua  
 Pauperis inferni preuaricata simul. 740  
 Perditur ecce pudor indocti cordis, et vltra  
 Criminis aut culpe nulla verenda timet:  
 Dumque duces Herebi sic vidi ducere mundum,  
 Celica nullius iura valoris erant.  
 Cum magis hos vidi, magis hos reor esse timendos,  
 Ignorans qualis finis habendus erit.

Hic dicit se per somnium vidiisse progenies Chaym male-dictas vna cum multitidine seruorum nuper regis Vluxis, quos Circes in bestias mutauit, furiis supradictis associari.

Cap<sup>m</sup>. x. Estus erat nimius, rabies fera, turmaque magna,  
 Dum fuit infernus associatus humo.

725 alonge CE 730 iniquus CED 731 Iehenne C 733 Rore  
 quidem baratri D Cap. x. Heading a Vlixis CED 747 turbaque CE

Sicut arena maris, monstrorum concio feda  
 Vndeque progrediens innumeranda fuit. 750  
 Demonis ex stirpe furiens fuit illa propago,  
 Horrida facta viris et violenta deo;  
 Contemptrix superum, seueque audissima cedis,  
 Vt lupus est, ouium dum fuit ipse fame.  
 Protinus irrupti vene peioris abundans  
 Omne nephas, que viros inficit aura probos.  
 Septem progenies, quas ipse Chaym generauit,  
 Cum furiis socii connumerantur ibi.  
 Terribilis, fedus, celer ad scelus, ad bona tardus,  
 Quilibet arte sua deteriora parat. 760  
 Praua creatura spernit metuenda futura,  
 Omne quod imponunt sub paritate ferunt:  
 Semper amans crimen fuit hec, actrixque ruine,  
 Moreque carnificis aspera cede furit.  
 Narrat Ysaias, Ysidorus, Apocalipsis,  
 Tangit et in titulis magna Sybilla suis:  
 Gog erat atque Magog dictum cognomen eorum,  
 Actibus in quorum stat magis omne scelus.  
 Quid sit rex vel lex furiis nescitur ab illis,  
 Regula nulla ligat ordo nec vllus eos: 770  
 Non homines metuunt, superos cultu nec adorant,  
 Sed quod habet mundus turpius illud agunt.  
 Carnibus humanis solet hec gens sordida vesci,  
 Taleque dat populo vita ferina forum:  
 Turpia sunt plura quibus vtitur atra figura,  
 Quo capit exemplum turba maligna malum.  
 Hec etenim rabies furiens connexa malignis  
 Conuenit hiis furiis, de quibus ante loquor:  
 Conueniunt eciam socii quos nuper Vluxis  
 Mutauit Circes, et sociantur eis: 780  
 Nunc facies hominum, nunc transformata ferarum  
 Gestabant capita, que ratione carent.

Hic dicit secundum visionem sompnii qualiter audiuit nomina  
 et eorum voces diuersas et horribiles. Dicit eciam de Iohanne

757 Caym HDT 766 S has lost one leaf containing ll. 766-856. Text  
 follows C sybilla C sibilla EHD 771 dominos superos nec adorant D  
 779 Vluxis HT Vlixis CE Alixis D

Balle, qui eos ad omne scelus tunc instigabat, et quasi propheta  
inter eos reputabatur.

Cap<sup>m</sup>. xi. Watte vocat, cui Thomme venit, neque Symme retardat,  
Bette que Gibbe simul Hykke venire iubent:  
Colle furit, quem Geffe iuuat, nocumenta parantes,  
Cum quibus ad dampnum Wille coire vouet.  
Grigge rapit, dum Dawe strepit, comes est quibus Hobbe,  
Lorkyn et in medio non minor esse putat:  
Hudde ferit, quos Iudde terit, dum Tebbe minatur,  
Iakke domos que viros vellit et ense necat: 790  
Hogge suam pompam vibrat, dum se putat omni  
Maiorem Rege nobilitate fore:  
Balle propheta docet, quem spiritus ante malignus  
Edocuit, que sua tunc fuit alta scola.  
Talia quam plures furias per nomina noui,  
Que fuerant alia pauca recordor ego:  
Sepius exclamant monstrorum vocibus altis,  
Atque modis variis dant variare tonos.  
Quidam sternutant asinorum more ferino,  
Mugitus quidam personuere boum; 800  
Quidam porcorum grunnitus horridiores  
Emittunt, que suo murmure terra tremit:  
Frendet aper spumans, magnos facit atque tumultus,  
Et quiritat verres auget et ipse sonos;  
Latratusque ferus vrbis compressorat auras,  
Dumque canum discors vox furibunda volat.  
Vulpis egens vlulat, lupus et versutus in altum  
Conclamat, que suos conuocat ipse pares;  
Nec minus in sonitu concussit garrulus ancer  
Aures, que subito fossa dolore pauent: 810  
Bombizant vaspe, sonus est horrendus eorum,  
Nullus et examen dinumerare potest:  
Conclamant pariter hirsuti more leonis,  
Omneque fit peius quod fuit ante malum.  
Ecce rudit clangor, sonus altus, fedaque rixa,  
Vox ita terribilis non fuit villa prius:

Cap. xi. Heading 3 tunc om. T

784 Betteque CEHG Recteque DT hykke C hikke E hicke HGD  
788 Lorkin HGD 789 Cebbe D 790 Iacke HGD 792 fore] sua E  
795 quamplures HGD 811 eorum CEHGT earum D

Murmure saxa sonant, sonitum que reuerberat aer,  
Responsumque soni vendicat Eccho sibi:  
Inde fragore grauis strepitus loca proxima terret, 820  
Quo timet euentum quisquis adire malum.  
Contigerat plures infamia temporis huius,  
Que velut ex monstribus obstipuere magis.  
Terruerat magnas nimio pre turbine gentes  
Graculus, a cuius nomine terra tremit.  
Rumor it et proceres sermonibus occupat omnes,  
Consilium sapiens nec sapientis erat.  
Casus inauditus stupefactas ponderat aures,  
Et venit ad sensus durus ab aure pauor.  
Attemptant medicare, sed inmedicable dampnum,  
Absque manu medici curaque cessat ibi. 830

Hic dicit secundum visionem sompnii qualiter furie supra-  
dictae precones sibi et tribunos constituebant, et quomodo  
senes et iuuenes eorum fuerunt armati.

Cap<sup>m</sup>. xii. Inter eos statuunt precones atque tribunos,  
Et pro lege suum velle licere iubent.  
Hoc sua iura ferunt preconis voce, quod omnis  
Sit domus exusta que maledicit eis:  
Qui scelus illorum non fortificat sceleratus,  
Decapitatus erit, et domus igne perit.  
Constituunt socios sceleris comitesque furoris,  
Ex quorum manibus pendeat istud opus.  
Hac quoque de causa vidi quam plurima dampna,  
Dum preco fatui clamat in aure fori: 840  
Rusticus intonuit, datus est celer ignis in edes,  
Fitque repente sonus, plena fit igne domus.

Hec sibi rusticitas furiens statuebat, vt omnis  
Et vetus et iuuenis que valet arma ferat:  
Hii palos veteres gestant, qui sunt veterani,  
Aut contos cicius quam sibi desit onus.  
Membra leuant baculis fessique senilibus annis,  
Quos, velut est ouium, tussis eundo notat.  
Rusticus hic veniens fert euersamque pharetram,

817 sonitum quoque verberat D 821 Congestat D 822  
824 in cuius DT 837 celeris C furorum D P  
sibi om. D (marg. rubr. Deficit in copia)

Hic fractos arcus, hic sine luce facem;  
Quique colum baiulat non se reputauit inermem,  
Debilis armatus sic furit ipse senex.

Rusticitate tamen iuuenilis quos furit etas  
Quicquid adest manibus asperiora gerunt;  
Ascia, falx, fede quos roderat atra rubigo,  
Gestantur, que suo cuspide colla secant.  
Quem vagina tegit ensem vix dimidiata,  
Gestat et ingenuos rusticus inde ferit:  
Est ibi vanga loco gladii, baculus velut hasta  
Vibratur, que simul prompta securis adest:  
Arcus ibi multus fumo que etate retortus,  
Et sine tunc pennis multa sagitta volat:  
Tribula, surcula tunc quasi rumphea rite feruntur,  
Fertur et vt gladius malleus ipse ferus.  
Dixerat, 'Ista decent humeros gestamina nostros,'  
Rusticus, et tali murmure transit iter.  
Sic saltant iuuenes catulorum more per arua,  
Et transire feras de leuitate putant.  
Est ibi funda manu lapides quoque limpidiores,  
Vnde dedit varias rusticus ipse minas.  
Hii glebas, hii direptos et ab arbore ramos,  
Est vbi nil aliud, de feritate ferunt:  
Pars gerit et silices, ne desint tela furori,  
Menteque mortifera dant fera bella sua:  
Perfusam multo sapientum sanguine terram  
Hoc genus insipiens inmaduisse ferunt.  
Hii gradibusque suis iter arripiuere gradatim,  
Quo sibi non racio velle set ire iubet.

Hic dicit secundum visionem sompnii qualiter et quando  
dictae furie instigante diabolo, nouam Troiam, id est ciuitatem  
Londoniarum, ingressse sunt: nam sicut Troia nuper  
desolata extitit, ita ista ciuitas protunc quasi omni consolacione  
destituta pre dolore penitus ignominiosa permanxit.

Cap<sup>m</sup>. xiii. A dextrisque nouam me tunc vidisse putabam  
Troiam, que vidue languida more fuit:

855 roderat CEHGTH<sub>s</sub> roserat D      rubedo D      857 S *resumes*  
868 de S se CEHD      872 ibi ED  
Cap. xiii. *Heading* a idest HD      4 pro tunc CEH

850

860

870

880

Que solet ex muris cingi patuit sine muro,  
Nec potuit seras claudere porta suas.  
Mille lupi mixtique lupis vrsi gradientes  
A siluis statuant vrbis adire domos:  
Non erat in terris monstrosum quicquid abortum,  
Seu genus, vnde furor ledere posset humum,  
Quin venit et creuit, spersus velut imber ab austro,  
Qualibet ex parte parsque furoris adest.  
Tunc in aperta loca que monstra prius latuerunt  
Accedunt, paribus suntque recepta suis:  
Belua vasta, ferox, siluis que palustribus exit,  
Qui tantum rabie non furit, immo fame;  
Plus tamen ex rabie dispersam sequit in urbem,  
Que stupet ignotum tale venire malum.  
Agresti furia iurat silvestris, vt vno  
Legibus excussis iura furore ruent:  
Tantus adest numerus seruorum perditionis,  
Cingere quod murus vix valet vilus eos.

Cum furor vrget opus, remanet moderacio nulla,  
Set magis in vetitum quodlibet ipse ruit:  
Sponte sua properant, nichil est prohibere volentes,  
Sic valet inceptam tollere nemo viam:  
Omnia traduntur, postes reserauimus hosti,  
Et fit in infida prodicione fides.  
Vt fremit acer equus, qui bellicus ere sonoro  
Saltat, et ignorat proximiiora mala,  
Sic fera rusticitas incircumspecta malorum  
Incipit, et finem non videt inde suum:  
Victricem repetit dextre coniungere dextram  
Concio seruiliis, quam furor omnis habet.  
Sic adeunt vrbe turbe violenter agrestes,  
Et maris vt fluctus ingrediuntur eam.  
O quam magna nimis res et spectabile mirum  
Creuit in introitu de nouitate mali!  
Aula palentina grandis mutatur in vrbe,  
Omnis et in formam vertitur ipsa case;  
Atque casas minimas subito mutauit in aulas  
Sors, que iudiciis tunc fuit egra magis.

Ecce Iouis festiuas dies de Corpore Cristi,  
889 poterat C      893 om. D (*marg. deficit versus in copia*)

890

900

910

Cum furor accinxit vrbis vrumque latus :  
 Precedens alios Capitanus excitat vnum  
 Rusticus, vt cuncti consequerentur eum.  
 Ipse viris multis prefultus conterit vrbem,  
 Ense necat ciues, concremat igne domos :  
 Non solus cecinit, set secum milia traxit,  
 Involuitque malo milia multa suo ;  
 Colligit os rabiem seueque cupidine cedis  
 Auribus in vulgi concinit, 'Vre, feri.'  
 Que via salua fuit, fuit ignibus impetuosa,  
 Quo longum castrum ductile nescit iter ;  
 Baptisteque domus, sponso viduata, per ensem  
 Corruit, et flammis mox fuit illa cinis ;  
 Flagrabant sancte sceleratis ignibus edes,  
 Mixtaque fit flamme flamma proterua pie.  
 Attoniti flebant trepido de corde ministri,  
 Abstulerat vires corporis ipse timor.

Qui fera terribili iaculatur fulmina dextra,  
 Iussit vt igne polus torqueat orbis humum.  
 Si qua domus mansit poteratque resistere tanto  
 Indeicta malo, dat pia vota deo.  
 Est nichil vt queram dominans si vulgus in vrbis  
 Spirat opes et eo tempore fulta parat :  
 Vt multe gracili terrena sub horrea ferre  
 Limite formice grana reperta solent,  
 Sic vehit examen furiarum fulta per vrbem,  
 Nec valet in numero quis recitare forum.  
 Hic tenet, iste trahit, stetit ille que circuit alter,  
 Fit cito per multas predaque lecta manus.  
 Hos Bachus attingens tandem precordia vino  
 Mersit, et in finem clausurat ipse Iouem :  
 Nox erat, et vinis oculi mentesque natabant,  
 Membra mouent, nec habent quo sibi ferre pedes.

Postera sidereos Aurora fugauerat ignes,  
 En dolor excrescens iam noua dampna parat.  
 Si prius ira Iouis nocuit violenta, sequenter  
 Mota Venus duplo facta furoris agit.  
 Discurrunt agiles furie, quasi fulgor ab austro ;

920 vrumque latus] vbique loca D    947 stetit] rapit D    948 preda  
 peracta D    953 igne S

920

930

940

950

948

Sunt, vbi perueniunt, prodolor, heuque ! pares.  
 Tunc simul vnamimes lupus et canis vrsus in vrb  
 Depredant, que suas constituere moras.  
 Ecce senem Calcas, cuius sapientia maior  
 Omnibus est, nullum tunc sapuisse modum :  
 Anthenor ex pactis componere federa pacis  
 Tunc nequit, immo furor omne resoluit opus :  
 A vecorde probum non tunc distanca nouit,  
 Fit cor Tersitis et Diomedis idem :  
 Lingue composite verbis nil rethor Vluxes  
 Tunc valuit, nec ei sermo beatus erat :  
 Et quoniam tantis fatum conatibus obstat,  
 Quisque sua sorti frena relaxat homo.  
 Tunc neque bella iuuant, nec tela, nec vsus equorum,  
 Nec probitas veteris quid probitatis habet :  
 Vt lactante furit catulo priuata Leena,  
 Et ruit in pecora proximiora sibi,  
 Sic fera rusticitas iuris priuata salute  
 Irruit in proceres de feritate magis.  
 Omnibus est casus communis, non tamen vnum  
 Omnibus attribuit vna ruina locum.

O denaturans vrbis natura prioris,  
 Que vulgi furias arma mouere sinis !  
 O quam retrograda res est, quod miles inermis  
 Expauit, que ferus vulgus ad arma vacat !  
 Prelia Thebarum, Cartaginis, illaque Rome  
 Non fuerant istis plena furore magis.  
 Non hic Capanēus valuit, nec et ille Tidēus,  
 Non facit excursus iste vel ille ferox :  
 Non hic Palamades superat, neque nobilis Ajax,  
 Nec regimen gladius Agamenontis habet.  
 Subdita Troiana cecidit victoria victa,  
 Troiaque preda fero fit velut agna lupo.  
 Rusticus agreditur, miles nec in vrb resistit,  
 Hectore Troia caret, Argos Achille suo :  
 Hectoris aut Troili nil tunc audacia vicit,  
 Quin magis hii victi rem sine corde sinunt ;  
 Nec solito Priamus fulsit tunc liber honore,

960

970

980

990

967 retor CEHG    979 vrbis S orbis CEHD    981 om. D (margin  
 deficit versus in copia)    retro grada C

\*\*\*\*

E

Set patitur dominus quid sibi seruus agat.  
 Vix Hecube thalami poterant tunc esse quieti,  
 Quin dolor interius languida corda mouet;  
 Set neque tunc poterat in turribus Ilion altis  
 A furiis clausum fortificare virum. 1000

Hic tractat secundum visionem sompnii, quasi per figuram,  
 de morte Cantuariensis Archiepiscopi.

Cap<sup>m</sup>. xiii. O qui palladium Troie seruabat ab ara,  
 Helenus Antistes raptus in ense perit:  
 Predicat ipse satis prius vt sibi vita daretur,  
 Nec tamen in melius corda ferina mouet.  
 Est satis hoc quod ait, si gracia tangeret aures,  
 Set sua pro nullo pondere verba ferunt:  
 Quicquid in exemplis ibi dixit ab aure recessit,  
 Et magis in facinus credula turba fuit.  
 Tunc resonat murmur ingensque tumultus ad horam  
 Tollitur, et multum sedicionis habet: 1010  
 Litibus agreditur virtutes plebs viciorum,  
 Conturbatque sacrum sordida turba forum:  
 Bella mouet cum fraude fides, cum crimine virtus,  
 Cum pietate scelus, cum racione furor:  
 Affectus de corde piis non suscipit hospes  
 Impietas, mentem deserit exul amor.  
 Scit deus hos homines siluestres igne perhenni  
 Dignos et reprobos a racione vagos.  
 O dolor in gestis, O gesta nephanda doloris!  
 Sunt magis hec baratri quam malefacta viri. 1020  
 Non fuit humanum scelus hoc, quod demon agendum  
 Duxit ab inferno tam violenter humo.  
 Plebs furit in tanto, Cristi quod amore relicto  
 Turba rudis patrem nescit habere deum.

999 ylion CE Olion (*rubr.* ylion) D 1019-1023 *Text over erasure*  
 SCHG without erasure E As follows in D

Non pungens ramnes, sed oliua nitens, sed adornans  
 Ficus, sed blanda vitis, abhorret eos: 1020\*  
 Non summus dominus regit hos, non spiritus almus,  
 Nec lex nec Cristus tunc dominatur eis;

Namque creatorem nullo venerantur honore,

This also have this text, but in l. 1021 these read  
 Summus demon enim regit hos nam spiritus almus

Deficit hic virtus, viciorum copia surgit,  
 Et quem deseruit hec, rapit illa locum:  
 Inde cadit bonitas, pietas perit, omnis honestas  
 Exulat, atque fugam consulit omne bonum:  
 Hinc amor et requies, pax et concordia mentis,  
 Spesque fidesque suas deseruere domos: 1030  
 Sobrietatis amans modus et moderacio rerum  
 Et pudor a longe constituere moram:  
 Transtulit ad sedem pacientia se meliorem,  
 Mens humili sequitur eius ubique comes:  
 Agmine virtutum sublato surgit in illum  
 Plebs inimica, manus impia, turba grauis.

Undique concursus ingens conuentus, ad istum  
 Conflictum mortis plurima turba ruit:  
 Qui simul astabant spectantes ultima cause  
 Longius, ex illis unus et alter ait, 1040  
 'Hic reus est mortis, sentencia sit capitalis,  
 Sit crux in nobis inque perhenne suus.'  
 Verbaque dicuntur dictis contraria verbis,  
 Mutua vox tandem garrula dampnat eum.  
 Presulis in mortem, violatis numinis aris,  
 Prosilunt hostes, et latus omne fenent:  
 Clament carnifices nulla pietate miserti,  
 'Hic manibus nostris interimendus erit.'  
 Impositis manibus collum cum falce secabant,  
 Nulla fides Christi iura veretur ibi; 1050  
 Ipse tamen facinus pacienter sustulit omne,  
 Cum mala tanta ferat, ipse quietus erat.  
 Non ignorat eos maledicatio debita Christi,  
 Qui cum sint membra, sic coluere caput.

Quatuor in mortem spirarunt federa Thome,  
 Simonis et centum mille dedere necem:  
 De vita Thome rex motus corde dolebat,  
 Simonis extremum rex dolet atque diem:  
 Ira fuit regis mors Thome, mors set ab omni  
 Vulgari furia Simonis acta fuit: 1060  
 Disparilis causa manet et mors vna duobus,  
 Inmerito patitur iustus vterque tamen.  
 Illeso collo gladiis periit caput vnum,  
 Quod magis acceptum suscipit ara dei;

Alterius capite sano fert vulnera collum,  
Cuius erat medio passio facta foro :  
Miles precipue reus est in sanguine Thome,  
Simonis inque necem rusticus arma dedit :  
Ecclesiam Cristi proceres qui non timuerunt,  
Martirii Thome causa fuere necis ;  
Iusticie regni seruile genusque repugnans  
Simonis extreum causat in vrbe diem :  
Corruit in gremio matris Thomas, medioque  
Natorum turba Simon in ense cadit :  
Thomam rex potuit saluasse, set illa potestas  
Simonis ad vitam regia posse caret :  
Vita fuit Thome mors, et nunc vicio mortis  
Simonis ante fores cotidiana grauat.

Fecerat exiguae iam sol altissimus umbras,  
Fitque die media sanguine tinctus Ephot :  
Candida sic paciens collum percussa securi  
Victima purpureo sanguine pulsat humum.  
Qui pater est anime, viduatur corporis expers,  
Pastor et a pecude cesus abhorret agros :  
Qui custos anime fuerat, custode carebat,  
Huncque necant nati, quos colit ipse pater.  
Qui fuerat crucifer que patrum Primas in honore,  
Hic magis abiectus et cruciatus erat :  
Qui fuerat doctor legum, sine lege peribat,  
Cesus et atteritur pastor ab ore gregis.  
Ante diem moritur sine culpis et sine causa,  
Quo tam natura quam Deus ambo dolent :  
Sit licet ex falsa seruorum lege subactus,  
Liber perpetuas ambulat ipse vias.  
Fortitudo quidem virtus, licet exteriora  
Perdidit, affirmat interiora deo ;  
Temperiesque sibi, quicquid furor egerit extra,  
Interius patitur simplicitate sua.

Tollitur a mundo quamuis sapiencia, virtus  
Prouidet in celo cum sapiente locum :  
Obruta iusticia quamuis videatur, ad astra  
Se leuat et summum permanet ante deum.  
Viuere fecerunt quem mortificare putarunt,

1071 repugnans CED repungnans SHGTHs 1077 margin Nota C

1070

1080

1090

1100

Quem tollunt mundo, non potuere deo.

O probra transacto quis tempore talia nouit,  
Que necis in speculo presulis acta patent ?  
Multa per ante bona communia fecerat vltro,  
Sponteque pro meritis vulgus abhorret eum.  
Tale patrasse malum non norunt Nestoris anni,  
Fitque magis mira res, quia raro cadit. 1110  
Non michi tam grauia sunt que prius acta fuerunt,  
Set magis ad presens cognitora grauant ;  
Nam quod adesse meo iam vidi tempore dampnum  
Horrida maioris facta doloris habet.  
O quid agit vicium de longo continuatum,  
Hoc docet in vulgo res patefacta modo.  
Hii sunt credo Chaym peiores, hic nisi tantum  
Occidit fratrem, set pater iste fuit.  
Nescio quis laudem facinus per tale meretur,  
Hoc scio quod crimen diruta Troia sinit : 1120  
Iste iuuat quod et ille facit, consentit et alter,  
Vt malus et peior pessimus inde forent :  
Iura volunt quod homo facinus qui mittit, et alter  
Qui consentit ei, sint in agone pares.  
O tibi commissos vrbs que lapidare prophetas  
Audes, quo doleas est tibi causa satis.  
Agrestes tamen hoc facinus specialius omni  
Plebe dabant furie, dum mala prima mouent.  
O maledicta manus caput abscisum ferientis !  
Culpa fit horribilis, pena perhennis erit. 1130  
O qui tale deo crimen prohibente parasti,  
Perfide, qua pena, qua nece dignus eris ?  
O furor insane, gens rustica, plebs violenta,  
Quam tua fraus sceleris est super omne scelus !  
Dic qua fronte potes discrimina tanta patrare ;  
Equiperat fraudem, perfida, nemo tuam.

Huc properate senes, huc florida confiuat etas,  
Cernite que sceleris rusticus arma tulit.  
Tundite pectus, fundite fletus, plangite funus,  
Cuius inaudita mors perhibetur ita : 1140  
Vtque salire solet mutulati cauda colubri,

1105 Reproba D 1107 perante HD 1117 Caym HD 1136  
perfida SCHGDTHs perfida E 1141 mutulati SHD mutilati CE

Palpitat et moritur qui solet esse caput.  
 Mors etenim sacris fuit, heu! furiosior aris,  
 Et minor a pecude presulis extat honor.  
 Venturi memores estote, que temporis huius  
 Casus inauditus instruat omne solum:  
 Exemplo caueant qui spiritualia seruant,  
 Ne simul officium det sibi terra suum.  
 Que Cassandra solet predicere more prophete,  
 Eueniunt vrbi pondere valde graui.      1150  
 Hec manus alma dei mala permittendo sinebat,  
 Que tamen inde fuit causa scit ipse deus.  
 Insolita cuncti tali de morte stupebant,  
 Saltem quos racio stringit amore dei.  
 Non Heleno potuit Priamus succurrere, Regis  
 Imperii set eo tempore iura silent;  
 Rex tamen vt sciuit quod sic fuit ordine rerum,  
 Plangit et hinc doluit cordis amore sui:  
 Rex doluit factum, nec habet quo frangere fatum,  
 Iura nec ecclesie debita ferre sacre.      1160  
 Ante sacras vidi proiecta cadauera postes,  
 Nec locus est in quo desinit esse nephias.

Hic tractat viterius secundum visionem sompnii de diuersa  
 persecuzione et occisione, quas in dicta ciuitate quodammodo  
 absque vila protunc defensione furie supradicte, prodolor!  
 faciebant, et qualiter huiusmodi fama vicinas perterrit ciuitates.

Cap<sup>m</sup>. xv. Quique magis celebres fuerant hoc tempore ciues,  
 Sicut oues mortis procubuere manu.  
 Corpora missa neci nullo de more feruntur,  
 Immo iacent patulis vndique sparsa vi:  
 Et quod nulla viris, rabies, monumenta manerent,  
 Mortua membratim corpora scissa terit:  
 Corpora cesorum muris suspensa reponunt,  
 Brutaque brutorum more sepulta negant.      1170  
 Horrida plaga fuit dum sanguine terra madescit,  
 Fons vbicumque tumet, sanguinitate rubet:  
 Mors furit in foribus, mors pulsat ad ostia iuris,  
 Viuere siue mori rusticus ipse iubet.

1159 frangeret actum D      1160 subdita C  
 Cap. xv. Heading 3 pro tunc CED      4 huius ED  
 1170 sepulcra D      1173 hostia CE

Quicquid erat forte manibus succumbit eorum,  
 Vrbs que summa fuit, cede repressa ruit:  
 Turribus euersis inuenta cibaria vastant,  
 Omnia diripiunt que meliora sciunt.      1180  
 Fit nouus ergo dolor, fit planctus, luctus invndat,  
 Deuiat a cultu regis iniqus homo:  
 Annos per centum veteres quos duxerat etas,  
 Flebant de casu quem dedit vna dies.  
 Plus quam piscis aquam rabies cupit ipsa crux,  
 Pacis in auxilium nec miserere iuuat:  
 Pro nato genitor si verba precancia dixit,  
 Corruit ex verbo cesus vterque simul:  
 Si veniam peteres, fleres et ad hoc maris vndas,  
 Non tamen hee lacryme pondera vocis habent.  
 Tunc magis indomitas ardescit vulgus in iras,  
 Vt rediat pietas nil valuere preces:      1190  
 Consumptis precibus furiens violencior extat  
 Rusticus, et peius quod valet ipse facit.  
 Sic nec aper media silua tam seuis in ira  
 Fulmineo rapidos conrotat ore canes;  
 Quin cicius verbo, furiis quod dixeris, vno  
 Sensisses lesum in caput arma tuum.  
 Confusum tanto subite terrore ruine,  
 Vix genus ingenuum scit genus esse suum.  
 Diffugit ingenuus, vagat, et nec menibus vrbis  
 Aut nemorum latebris fert loca tuta satis:      1200  
 Mille domos adiit sortem repetendo salutis,  
 Set potuit nullo ferre quieta loco:  
 Nunc huc, nunc illuc, quasi mocio nubis aquose,  
 Se mouet ingenuus, fit neque firma salus:  
 Vir cubat in puteis, latebras magis optat Auerni,  
 Quam periturus erat, dum latitare queat.  
 A siluis silue, set ab aruis arua timescunt,  
 Vrbs et ab vrbe, locus nescit habere loca.  
 Quam subito positas aspergit sanguine mensas  
 Ille furor, cuius horruit acta deus!      1210  
 Spersaque sanguineis maduerunt pabula guttis,  
 Nec locus aut thalamus dat loca salua viris.

1190 redeat C      1199 vagus D      1206 Quem D      1209 mensas]  
 manus D      1212 locus S      thorax CEHGD

## VOX CLAMANTIS

Tunc nisi sub centro res aut super ethera nulla  
Salua potest fieri proprietate loci.  
Aduena preda fuit, quam rusticus inchola mortis  
Morsibus exagitans ensis in ore terit.  
O dolor in sponsa mortis cum videritensem,  
Quo caderet sponsus, nec fuit ipse reus!  
Occupat amplexu lacrimasque per oscula siccatur,  
1220  
'O pariter celi summa petamus,' ait:  
Accipiunt lacrymas sparsi per colla capilli,  
Oraque singultu concuiente sonant.  
Sic magis orbatas quam sepe rigare maritis  
Femineas vidi corde dolente genas;  
Sepe manus stringi, dirumpere sepeque crines,  
Vngues et propriam dilaniare cutem.  
Qui tamen est omnis auctor feritatis, ob ipsos  
Gaudia fert luctus et magis auget eos;  
Monstraque sic hominum calido de sanguine gaudent,  
Quod nichil impietas de pietate sapit.  
1230

Speserat ambiguas huius vaga fama per urbes  
Rumoris sonitum, cordaque firma mouet;  
Euentuque graui recitat publica clades,  
Nec de fortuna quo cadet ipse sapit.  
Sic magis ecce viros perterrit impius ensis,  
Cuius non redimunt aurea dona manum:  
Vrget amara sitis, que torrida viscera torquet,  
Dum timor exsiccat pectoris antra viri:  
Inuictumque virum potuit quem nullus ab ante  
Vincere, tunc vicit de grauitate pauor:  
1240  
Ymber vt ipse cruor rubefactaque sanguine tellus  
Tunc magis audacis interiora mouet.  
Set tamen vt curet morbum lex nulla medetur,  
Nec sibi pre manibus quis properauit opem:  
Auxilium nullus rebus prestabat amaris,  
Lance suam reputat quisque tenere necem:  
Est inmota manus procerum nec temporis obstat  
Ire, set paciens sustulit omne malum:  
Nulla potentis erat hominis tunc salua potestas,  
Deprimit immo suum cauda maligna caput:  
1250

1241 vt (ut) CEHD et S 1243 Eius enim nulla morbo medicina medetur D

## LIBER PRIMUS

Tunc sua cuique domus homini funesta videtur,  
Nec fuit a mortis vlcere certus homo.  
In nimio tinxit elatos sanguine cultros,  
Dum sua ruralis rusticus arma gerit:  
Parcere nec pueris vult impius aut mulieri,  
Vastat cunctorum res, loca, iura, forum.  
Nemo potest veniam sub ea feritate mereri,  
Impetus illorum terruit omne solum:  
Omnis enim vulgi furiis tunc turba fauebat,  
1260  
Nec fuit ingenuus vnus vt obstet eis:  
Non fuit in toto gladius vel lancea regno  
Militis in manibus, quo tueatur opus:  
Dum furor excrescit, dum rustica turba tumescit,  
Miles vt ambiguus fit magis inde pius.  
Milicies cessit paciensque locum dedit ire,  
Dum terit improbitas que probitatis erant:  
Occupat en talus loca cordis, iuris et error,  
Nec medicus morbo quis reputauit opem.  
Sic neque nobilium scutum vel lancea quicquam  
Obstitit, vnde vetus fortificetur honor;  
1270  
Cassaque iusticia cessat, nec cordis agresti  
Amplius indomiti debita iura tenet.  
Spacia nulla sinunt medicamina ferre furori,  
Set fuit ebrietas maior ad omne scelus:  
Hec mala corripere qui vellent nec potuerunt,  
Hii lacrimas animi signa dedere sui:  
Quisque suas lacrymas alto de corde petit  
Edidit, et finem spectat adesse suum.  
Lumina que fuerant prius arida letaque risu,  
Erumpunt lacrime more fluentis aque;  
1280  
Qui prius ex nullo casu deslere solebant,  
Vt flerent oculos erudiere suos:  
Flebat ausus flebatque soror flebantque gemelli,  
Que videant oculi nil nisi triste ferunt.  
Vox fuit 'Heu! ve! ve!' sunt, prodolor! omnia luctus,  
Omnia solliciti plena timoris erant;  
Omnis habens lacrimas, 'Quis me manet exitus?' inquit,  
Nescius ad mane que sibi sero foret.

1269 vel] nec C 1271 cessat CEHDTH: cessit SG 1273 Nulla  
sumunt spacia D

'Fer, precor,' inquit, 'opem, nostroque medere timori,  
Egraque sors abeat, o deus!' omnis ait. 1290  
Rusticus ingenuis, 'Stat magna potencia nobis,'  
Dixerat, 'et vester ammodo ccesset honor.'  
O genus attonitum gelide formidine mortis,  
Quam variata tibi sors dedit ista mali!  
Est in thesauris abscondita causa supremis,  
Cur ruit ingenuos tanta procella viros.

Pax perit atque quies, animalia namque pusilla  
Intrepido corde bella tremenda ferunt:  
Que fuerant prede nuper, sibi querere predas  
Vidi, set preda nulla resistit eis. 1300  
Vidi nam catulos minimos agitare leonem,  
Nec loca tuta sibi tunc leopardus habet:  
Aspera grex ouium pastori cornua tendunt,  
Cordis et effuso sanguine tintcta madent:  
Postpositaque fide Cristi, furientibus illis,  
Ecclesiam reputant atque lupanar idem.  
Perfida stulticia tunc temporis omne negavit,  
Quod natura sibi vel deus ipse petit:  
Non timet ipsa deum neque mundi iura veretur,  
Set statuit licitum criminis omne malum: 1310  
Ordine retrogrado sic quilibet ordo recessit,  
Nec status ipse sapit quid sit habere statum.

Frumenti spicas tribulus vastauit, et ipsas  
Cardo supercreuit et viauait agros.  
Loth capitur, pastor rapitur, locus expoliatur,  
Et qui cuncta videt secula ceca sinit.  
Tunc pro peccatis populi fit pena beatis,  
Cunctaque sacra furor esse nephanda putat:  
Demonibus homines subici culpis meruerunt,  
Tunc quia non hominem nec timuere deum. 1320  
Murmurat ex more plebs improba digna dolore,  
Murmur et in populo iurgia multa mouet:  
Iura sacerdotum presumentes, et honores  
Tollentes, iram commeruere dei.  
Fulgurat interius dolor huius turbine pestis,  
Intonat exterius horrida turba sonis:  
Conclamant furie, respondet flebile tellus,

1308 dedit D 1312 sit CE scit SHD

Heu, quod in hoc fient tempore tanta mala!  
Leticie facies tunc nulla videtur in vrbe,  
Compatitur vultus cordis amara sui: 1330  
Nulla quies mentis lese nullumque iuuamen  
Extitit, vt sanum tempus habere queat.

Sic amor ecce vetus Troie mutatur in iram,  
Cantus et ex planctu victus vbique silet:  
In lacrimas risus, in dedecus est honor omnis  
Versus, et in nichilum quod fuit ante satis.  
Ora rigant fletus, tremit et formidine pectus,  
Gaudia que fuerant deuorat ipsa dolor:  
Aspiceres alios flentes terraue iacentes,  
Quos dolor alterius proprius atque dolet, 1340  
Et sua multociens ad celum brachia tendunt,  
Si magis ex superis sit medicina malis.  
Qui bonus extiterat magis est bonitate remorsus,  
Planctus erat celebris, meror vbique nouus.  
'Omnia perdidimus,' dicunt, quia nullus in vrbe,  
Quem status expectat, quicquid honoris habet.  
Qui de lege magis florebant tunc sapientes,  
Impositis gladiis colla secantur eis:  
Quos magis et furie reputabant esse peritos,  
Vulneribus paribus corpora cesa ruunt. 1350  
Garrula culpa volat, timidisque perhorruit aures,  
Nec sciuit sapiens quid sibi iura valent:  
Floruit omne scelus, bonitas perit, egraque iura  
Deveniunt, que regens non habet vnde regat.  
Hec et plura ferox rabies, que nullus ab ante  
Viderat, insolita fecit in vrbe mala:  
Vrbes non tantum generaliter, immo per omnem  
Iste furor patriam subpedauit humum.

Hic plangit secundum visionem sompnii quasi in propria  
persona dolores illorum, qui in siluis et speluncis pre timore  
temporis illius latitando se munierunt.

Cap<sup>m</sup>. xvi. Hec ita cum vidi, me luridus occupat horror,  
Et quasi mortifera stat michi vita mea; 1360  
Semper in interius precordia mortis ymago  
Pungit, et vt gladius viscera tota mouet.

1361 internis D

Iamque dies medius tenues contraxerat umbras,  
 Iamque pari spacio vesper et ortus erat:  
 Ter quater affligi sociorum corpora terre  
 Vidi, datque sua mors michi signa mori.  
 Aspiciens vultus aliorum cede madentes,  
 De propria timui morte remorsus ego;  
 Crudelesque manus, orbem sine lumine iuris  
 Percipiens dixi, 'Iam cadit ordo viri'; 1370  
 Bestia cum regimen hominum rapuisset et arma,  
 Et quod nulla suis legibus equa forent.  
 Hoc michi solliciti certissima causa timoris  
 Extitit et sortis peior origo mee;  
 Nam quia sic proceres vidi succumbere seruis,  
 Spes magis in fatis nulla salutis erat.  
 Est michi rupta domus per eos, quos rupta gehenna  
 Miserat, vt leges perderet ordo suas:  
 Sic fugiens abii subite contagia cladis,  
 Non ausus lese limen adire domus. 1380

Tuncque domum propriam linquens aliena per arua  
 Transcurri, que feris saltibus hospes eram.  
 Morsus ego linguis a dorso sepe rubebar,  
 Et reus absque meo crimine sepe fui:  
 Sic reus infelix agor absens, et mea cum sit  
 Optima, non vlo causa tuente perit.  
 Inde ferens lassos aduerso tramite passus,  
 Quesui tutam solus habere viam:  
 Attamen ad tantam rabiem pedibus timor alas  
 Addidit, et volucris in fugiendo fui. 1390  
 Sic vagus hic et ibi, quo sors ducebat euntem,  
 Temptauit varia cum grauitate loca:  
 Pes vagat osque silet, oculus stupet et dolet auris,  
 Cor timet et rigide diriguere come.  
 Sicut aper, quem turba canum circumsona terret,  
 Territus extrema rebar adire loca.  
 Ha, quociens certam sum me mentitus habere  
 Horam, proposito que foret apta meo!  
 Si qua parte michi magis expediens foret ire,  
 Perstetit in media pes michi sepe via: 1400

1369 limine S

1377 Iehenna C

1386 ullo om. D (marg. deficit)

1392 Giraui D

1395 turma D

Excidit omne decus michi tristi, nulla tuebar  
 Rura, nec in precio fertilis ortus erat.  
 Mens agitur, que diu pugnat sententia mecum,  
 Quis locus ad vitam fert pociora meam;  
 Vixque michi credens solo quasi vota momento  
 Millesies varians corde vagante tuli.  
 Si loca tuta forent, loca tuta libenter adissem,  
 Set quo non potui corpore, mente feror;  
 Cumque domum volui quandoque redire diebus,  
 Vt me prepeditat, occupat hostis iter. 1410  
 Si progressus eram, caperer ne nocte timebam;  
 Sic michi de nullo tempore tempus erat:  
 Hostis adest dextra, surgit de parteque leua,  
 Vicinoque metu terret vtrumque latus.  
 Ha, quociens furis visis cessi, que sub umbris  
 Auris ad extrema semper aperta fuit!  
 Ha, quociens siluis latui vix ausus in antris,  
 Desperans sero quid michi mane daret!  
 Ha, quociens mentem pauor incutit hec michi dicens,  
 'Quid fugis? hic paruo tempore viuus eris!' 1420  
 Ha, quociens fuerat mea mens oblitera quid essem,  
 Dum status anterior posteriora tenet!  
 Sepius inque die dum sol clarissimus esset,  
 Nox oculis pauidis venit aborta meis.  
 Somnia me terrent veros imitancia casus,  
 Et vigilant sensus in mea dampna mei:  
 Sic mea sompniferis liquefunt pectora curis,  
 Ignibus appositis vt noua cera solet:  
 Aut nisi restituar melioris ymagine sompni,  
 Aspicio patrie tecta relicta mee. 1430  
 Concaua vallis ubi fuerat nemorosa, per umbras  
 Vt lepus obliquas sepe viator eram:  
 Purus ab arboribus spectabilis vndeque campus  
 Tunc michi pro nullo tempore fidus erat;  
 Silua vetus densa nulla violata securi  
 Fit magis ecclesiis tunc michi tuta domus.  
 Tunc labor insolitus sic me lassauit, vt egros  
 Vix passus potui ferre vel hic vel ibi:  
 Sic fugiendo domos proprias mens horruit antra;

1420 hic] en D

Peius vt effugiat, sustinet ipsa malum.  
 Absque supercilium michi nubis sub tegumento  
 Copula cum foliis prebuit herba thorum.  
 Si potui, volui sub eodem cortice condii,  
 Nulla superficies tunc quia tuta fuit;  
 Perque dies aliquot latitans, omnemque tremescens  
 Ad strepitum, fugi visa pericla cauens.  
 Glande famem pellens mixta quoque frondibus herba  
 Corpus ego texi, nec manus vna mouet;  
 Cura dolor menti fuerat, lacrimeque rigantes  
 In fundo stomachi sunt alimenta quasi.  
 Tunc cibus herba fuit, tunc latis currere siluis  
 Impetus est, castra tunc quia nulla iuvant:  
 Rore meo lacrimisque meis ieunia paui,  
 Fert satis ad victum langor in ore meum.  
 Plura dolens timui tunc temporis, et super omne  
 Ira dei magni causa timoris erat:  
 Tristis eram, quia solus, egens solamine, cogor  
 Tunc magis ignotas vt vagus ire vias:  
 Sic loca secretos augent secreta dolores,  
 Vt releuet luctus quisque sodalis abest:  
 Fert tamen, vt possum mestos depromere vultus,  
 Solus in exilio gaudia magna dolor.  
 Sic lacrime lacrimis, sic luctus luctibus assunt,  
 Dum queror, et non est qui medicamen agat;  
 Pectoribus lacrimeque genis labuntur aborte,  
 Dum fuerat fati spes inimica michi.  
 Fine carent lacrime, nisi cum stupor obstitit illis,  
 Aut similis morti pectora torpor habet:  
 Tunc pariter lacrimas vocemque introrsus abortas,  
 Extasis exemplo comprimit ipse metus.  
 Brachia porrexi tendens ad lumina solis,  
 Et, quod lingua nequit promere, signa ferunt;  
 Cumque ferus lacrimas animi siccauerat ardor,  
 Singultus reliquias clamat habere vices.  
 Pallidiora gerens exhorruit equoris instar  
 Multa per interius mens agitata malis;  
 Discolor in facie macies monstrauerat extra,  
 Que magis obtruse mentis ad yma latent:

1461 possum SHD possim CE

1477 monstauerat S

1440

1450

1460

1470

Nam pauor et terror, trepidoque insania vultu,  
 Me magis ignotum constituere michi.  
 Dum mens egra fuit, dolet accio corporis, in quo  
 Ossa tegit macies, nec iuuat ora cibus;  
 Iam michi subducta facies humana videtur,  
 Pallor et in vultu signa reportat humi;  
 Sanguis abit mentemque color corpusque reliquit,  
 Pulcrior est et eo terra colore meo.  
 Sic magis a longo passum quod corpus habebam,  
 Vix habuit tenuem qua tegat ossa cutem;  
 Sicque diu pauidus pariter cum mente colorem  
 Perdideram, que fui sic nouus alter ego.  
 Vix fuerat quod ego solida me mente recepi,  
 Dum bona promisit sors michi nulla fidem:  
 Non michi libertas cuiquam secreta loquendi  
 Tunc fuit, immo silens os sua verba tenet.  
 Si michi quem casus socium transduxerat illuc,  
 Misceimus lacrimas mestus vterque simul:  
 Raro fuit quod ego verbis solabar amicis,  
 Vix quia tunc fidus vnum amicus erat:  
 Illud erat tempus dubium, quo nullus amicum  
 Certum certus habet, sicut habere solet.

1490

1500

1510

Qui prius attulerat verum michi semper amorem,  
 Tunc tamen aduerso tempore cessat amor:  
 Querebam fratres tunc fidos, non tamen ipsos  
 Quos suus optaret non genuisse pater.  
 Memet in insidiis semper locuturus habebam,  
 Verbaque sum spectans pauca locutus humum:  
 Tempora cum blandis absumpsi vanaque verbis,  
 Dum mea sors cuiquam cogerat vlla loqui.  
 Iram multociens frangit responsio mollis,  
 Dulcibus ex verbis tunc fuit ipsa salus;  
 Sepeque cum volui conatus verba proferre,  
 Torpuerat gelido lingua retenta metu.  
 Non meus vt querat noua sermo quosque fatigat,  
 Obsttit auspicis lingua retenta malis;  
 Sepe meam mentem volui dixisse, set hosti  
 Prodere me timui, linguaque tardat ibi.  
 Heu! miserum tristis fortuna tenaciter vrget,

1485 corpusque reliquit om. D (marg. deficit)

Nec venit in fatis mollior hora meis.  
 Si genus est mortis male viuere, credo quod illo  
 Tempore vita mea morsque fuere pares. 1520

Sic vbi respxi, nichil est nisi mortis ymago,  
 Quam reputo nullum tollere posse virum :  
 Sepe mori volui ne quicquid tale viderem,  
 Seu quod ab hiis monstris tutus in orbe forem ;  
 Velle mori statui, quia scribitur, 'Omnia soluit  
 Mors et ab instanti liberat ipsa malo.'  
 'Fortune,' dixi, 'dolor, vnde parce dolenti,  
 Da michi vel plene viuere siue mori.'  
 Set michi pro fine spem tantum mortis habebam,  
 Plusque nec ausus eram limen adire domus. 1530

Murmura tunc subite subeunt habitacula mentis,  
 Talia pro luctu sepeque verba ferunt :  
 'O tibi quem presens spectabile non sinit ortus  
 Cernere, quam melior sors tua sorte mea est !  
 Heu ! mea consueto quia mors nec erit michi lecto,  
 Depositum nec me qui float illus erit :  
 Spiritus ipse meus si nunc exibit in auras,  
 Non positos artus vnguet amica manus.  
 Si tamen impleuit mea sors quos debuit annos,  
 Et michi viuendi tam cito finis adest, 1540

Ecce, deus, tu scis quia non tua fata recuso ;  
 Dum feris, en pacior que meruisse reor.'  
 Cumque mei luctus torrens michi maior invndat,  
 Et magis ex sterili sorte volutus eram,  
 Ecce Sophia meis compassa doloribus inquit,  
 'Siste, precor, lacrimas et pacienter age.  
 Sic tibi fata volunt non crimina, crede set illud  
 Quo deus offensus te reparando vocat.  
 Non merito penam pateris set numinis iram :  
 Ne timeas, finem nam dolor omnis habet.' 1550

Talibus exemplis aliis quoque rebus vt essem  
 Absque metu paciens sepe Sophia monet ;  
 Conscia mensque michi fuerat, culpe licet expers,  
 Spes tamen ambigue nulla salutis adest.  
 Non fuerant artes tanti que numinis iram  
 A me tollentes tempora leta ferunt.

1525 statui CEHD statim SGHs

1531 subito D

1552 mouet D

Tanta mee lasse fuerat discordia mentis,  
 Quod potui sensus vix retinere meos.  
 Quid michi tunc animi fuit aut quid debuit esse,  
 Cum michi rem certam mors neque vita tulit ? 1560

Nunc id, nunc aliud, dubitata mente reuolui,  
 Quo michi nulla quies fit neque leta dies.  
 Cum fuit in sompniis mea desperacio maior,  
 Exiguo dixi talia verba sono :  
 'Crudeles sompni, cur me tenuistis inermem ?  
 Quin prius instanti morte premendus eram.'  
 Arguit ergo meos ita mens quam sepe dolores,  
 'Quid fles ? hic paruo tempore,' dixit, 'eris.'

Sic tenuant vigiles corpus miserabile cure,  
 Quas vigili mente sompnia ferre dabant : 1570  
 Me timor inuasit, stabam sine lumine mestus,  
 Et color in vultu linquit habere genas :  
 Attonitus tanto miserarum turbine rerum,  
 Vt lapis a mente sepe remotus eram.  
 Mens tamen vt rediit, pariter rediere dolores,  
 Mortem dum menti vita negare nequit :  
 Sic mortem cupiens timui presagia mortis,  
 Nec fore quid melius mens michi fida refert.  
 Verbis planxissem, set viscera plena dolore  
 Obsistunt, nec eo tempore verba sinunt ; 1580  
 Obice singulti vocis stetit impetus horrens  
 Aduentum lacrime, lingua refrenat iter.  
 Est michi vita mori, mors viuere, mors michi vita  
 Dulcior est, redolet viuere mortis amor :  
 Solus, inops, expes, vite peneque relictus,  
 Attendi si que sors mea certa foret.  
 Talia mira nimis longum narranda per annum,  
 Que modo vix recolo, tunc paciebar ego.  
 Scire meos casus si quis desiderat omnes,  
 Quo loquar hos finem non breue tempus habet : 1590  
 Sic tamen in variis mea lassa doloribus ipse  
 Tempora continuans asperiora tuli.

1575 redire EHD 1588 Que modo SGD Quo modo H Quomodo CE  
 1591 Si S

Hic eciam secundum visionem sompnii describit quasi in propria persona angustias varias que contingebant hiis qui tunc pro securitate optimenda in Turrim Londoniarum se miserunt, et de ruptura eiusdem turris: figurat enim dictam turrim similem esse naui prope voraginem Cille pericitanti.

Cap<sup>m</sup>. xvii. Amplius ut vidi quia lex non nouerat orbem,  
 Creuit et ex variis rumor vbique malis,  
 En stupor in sompnis magis ac magis inde timorem  
 Prouocat, et dubias fert michi sepe vias:  
 Quid facerem metuens, aut quid michi cercius esset  
 Ignorans, oculos sperserat ira meos.  
 Haud procul aspexi nauem, properansque cucurri,  
 Sors mea si forte tucior esset ibi; 1600  
 Ecceque scala michi patuit, qua scansus in altum,  
 Intraui, que pius dat michi nauta locum.  
 Ingenui sexus alios concenderem nauem  
 Vidi quam plures, quos timor omnis habet:  
 Vix fuit a planta capiti gradus vllus eorum  
 Qui tunc de stirpe nobilitatis erant,  
 Quin maris in medio pauidus concenderat ille  
 Classem, quo requiem, si foret vlla, petat.  
 Set quid agant alii, semper michi cura remansit  
 Vna, quod a furis tutus abire queam. 1610  
 Nauis in ingressu pauida de mente rogaui,  
 Ut michi det faciles vtilis aura vias:  
 Quem mare quemque colunt venti, per vota reclamo,  
 Ut michi det placidum per mare Cristus iter:  
 'Tu michi, stella maris, sis preua, quo ferar vndis;  
 Sit tibi cura mei, te duce tutus ero.'

Cum maris vnda procul a litore nos rapuisset,  
 Nauis et optato flumine carpsit iter,  
 A furis terre tunc amplius esse quietum  
 Me dixi, set in hoc spes mea vana fuit; 1620  
 Nam mea quando fuit spes maior ut ipse salutem  
 Consequerer, subito causa doloris adest.  
 Terribilem picea tectus caligine vultum  
 Ether ab excelsa commouet arma fretis:  
 Quatuor ora fremunt ventorum sic, quod inermem

Cap. xvii. Heading a persona propria CHDT  
 1610 tutus] cautus D

Anchora non poterat vlla iuuare ratem.  
 Extra se positus madidis Nothus euolat alis,  
 Cuius enim gutte dampna furoris agunt:  
 Quas sibi non poterat terre comprehendere virtus,  
 Pendula celestes libra mouebat aquas; 1630

Sic defrenato voluuntur in equora cursu,  
 Quo maris vnda nimis aucta subegit humum.  
 Seuiit in nauem ventis discordibus aura,  
 Et maris in remos vnda coacta ruit;  
 Fit fragor, et densi funduntur ab ethere nimbi,  
 Nauis et est variis exagitata malis.

Nuncia Iunonis varios tumefacta colores  
 Induit, et vario more refudit aquas:  
 Nulla set est gutta dulcis quam fuderat, immo  
 Turpis, amara, rudis, vilis, acerba, grauis; 1640  
 Nil valet ad gustum liquor hic, qui corda bibentum  
 Perforat, et quassat viscera tota simul.  
 O felix, tales qui tunc euaserat ymbres,  
 Qui sunt Stige magis et Flegetonte graves!  
 Ipse tamen naui turbatus semper adhesi,  
 Quam furiensi pelagi merserat ira quasi.  
 Huius aque fluuo bubo natat inter alaudas,  
 Nat lupus inter oues, inter honesta nephias.  
 Huius aque subite magis insulcata carina  
 Forcia que subiit tecta que castra ruit. 1650

Pre nimia rabie timuerunt grandia cete,  
 Dum magis atque magis aucta fit ira maris.  
 Ecce cadunt largi resolutis nubibus ymbres,  
 Aeris et medio fulminis ira tonat;  
 Inque fretum credas totum descendere celum,  
 Terruit et terras Iris vbique minis;  
 Inque plagas celi tumefactus scandit et equor,  
 Ut si de proprio vellet abire loco.  
 Sternitur interdum spumisque sonantibus albet,  
 Et redit in subitus quod fuit ante super; 1660  
 Et modo cum fuluas ex ymo vertit arenas,  
 Tincta superficies fulua patebat aquis.

Que freta seu venti poterant tormenta parare,  
 Fluctibus et grauibus flatibus illa parant:  
 1666 potuit C 1662 patebit S

Equoree miscentur aque celestibus auris,  
Mixtaque cum pluua salsa tumescit aqua.  
Vela madent nimbis, tegumenta nec vlla iuuabant,  
Vnus vt in sicco contegat inde caput;  
Pugnaque ventorum spumantes mouerat vndas  
Vertit et in variis fluctibus Auster eas. 1670  
Desuper emissi tenuerunt equora venti,  
Est ita naualis regula ceca magis;  
Tetraque nox premitur, tenebrisque micancia lumen  
Fulmina fulmineis ignibus ipsa dabant.  
Cum mare sub noctem tumidis albescere cepit  
Fluctibus, et preceps Eurus ad arma furit,  
'Ardua iam dudum dimittite cornua nauis,'  
Clamat, 'et ad velum currite,' rector ait.  
Hic iubet, impediunt aduerse iussa procelle,  
Nec fragor auditum tunc sinit esse maris; 1680  
Sponte tamen properant alii subducere remos,  
Pars munire latus quisque labore suo.  
Egerit hic fluctus equorque refundit in equor,  
Hic rapit antemnas, que sine lege vagant:  
Bella gerunt venti fretaque indignancia miscent,  
Cassus et vterius fit labor ille viris.  
Tanta mali moles classem compresserat audax,  
Vt vecors animum laxat abire vagum;  
Ipse pauet nec se quis sit status ipse fatetur,  
Dum timor ex mentis frigore corda gelat. 1690  
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,  
Rector et in remis fert nichil ipse magis.  
Omnia pontus erat, deerant quoque litora ponto,  
Regis et ad solium fert sua monstra fretum.

Hic dicit secundum visionem sompnii qualiter tanta superhabundauit tempestas, quod de certo absque manu diuina remedio omnes in dicta naui hesitarunt, et deum super hoc precipue quilibet sexus ingenui deuocius exorabat.

Cap<sup>m</sup>. xviii. Ceruleus, rubeus, pingit geminus color arcum,  
Et furor ethereus vndique spersus adest;

1669 Pugnaque CEDHs Pugnaque SHGT 1675 tumidus EH

1693 erant ED

Cap. xviii. Heading a de certo remedio absque manu diuina CEHD

Desuper ira tonat, subtus rumpuntur abissi,  
Et de visceribus terra fluenta vomit;  
Insolitas pluuias nubes effundit et vndas,  
Sustinet innumerias vndique nauis eas. 1700  
Nescia sicque vagans nauis qua sorte fruatur,  
Equoris et pluiae sic natat inter aquas;  
Et mare terribili confundit murmure mentes,  
Quod timor ex solo terret vbiique sono.  
Tristius et celum tenebris obducitur atris,  
Vix videt ex oculis iste vel ille manus.  
De celo veniunt tunc signa minancia mortem,  
Omnis et expectat quid sibi fata volunt:  
Desuper impletur flammis vtricibus aer,  
Et furor ex omni parte perurget aquas: 1710  
Igne a tunc sonitus diffundit flamma ferores,  
Et scintilla quasi fulmina spersa volat.  
Igniuomus fluuius sic nos torquebat, vt omnis  
Submisso capite mutus in ore silet:  
Deficit ars animique cadunt viresque fatescunt,  
Nec fuit vterius spes aliquialis eis.

En super hoc veniens immensus belua ponto  
Eminet, ex cuius naribus vnda tonat:  
Ipse velut nauis prefixus concita rōstro  
Sulcat aquas, et eum cuncta propinqua timent: 1720  
Ipse ferox latum sub pectore possidet equor,  
Et propriata sibi iura marina petit:  
Frater erat Cille, furiens magis ipse Caribdi,  
Et velut os Herebi, que voret ipse petit.  
Perdidit hiis visis audacior intima cordis  
Robora, que subito surripit ille pauor;  
Iamque gubernator, tollens ad sidera palmas,  
Exposcit votis immemor artis opem:  
Vincitur ars vento, neque iam moderator habenis  
Vtitur, immo vaga per freta nauis arat. 1730  
Tunc quasi febricitans os omnes horruit escas,  
Mensque vomit sensus absque salute suos:  
Brachia cum palmis, oculos cum menteque tristi  
In celum tendens, postulat omnis opem:  
Non tenet hic lacrimas, stupet hic, vocat ille beatos,

1706 ille vel iste CE 1724 quem D

Proque salute sua numina quisque vocat.  
Rector cuncta deo commendans talia dixit,  
'Celestis celerem det michi rector opem.'  
Rima patet, que viam prebet letalibus vndis,  
Nec stat qui mortis non reputaret iter. 1740  
Visa michi Cilla fuit et tunc visa Caribdis,  
Deuoret vt nauem spirat vtrumque latus.

O quam tunc similis huic naui Londoniarum  
Turris erat, quod eam sua procella quatit;  
Turris egens muris, vbi sumpsit petra papiri  
Formam, quam penetrans sordida musca terit;  
Turris, vbi porta sibi seras ferre recusat,  
Quo patitur thalamus ingredientis onus;  
Turris, vbi patula furiis via restat, et omnis  
Rusticus ingrediens res rapit atque loca; 1750  
Turris, vbi vires succumbunt debilitati,  
Turris, vbi virtus non iuuat vila viros;  
Turris in auxilium spirans, custode remoto,  
Et sine consilio sola relicta sibi;  
Turris in obprobrium patricida que sanguine feda,  
Cuius ineternum fama remorsa volat;  
Turris, vbi rupta spelunca fuit leopardi,  
Ipseque compulsus vt pius agnus abit;  
Turris, vbi pressit vi tegula feda coronam,  
Quo cecidit fragili sub pede forte caput; 1760  
Turris, non thuris olefacta salute set egra,  
Lugens non ludens, tedia queque ferens;  
Turris diuisa linguis Babilonis ad instar,  
Turris, vt est nauis Tharsis in ore maris.  
Sic patitur pressa vicii sub gurgite turris,  
Nescia qua morum parte parare viam.  
Quisque dolet, set non vt ego, dum talis amarum  
Spectat ad interitum naufraga Cilla meum.  
Hec ita sompnifero vigilans quasi lumine signa  
Vidi, quo timui dampna futura rei. 1770

Nimirum quod ego, dum talia ferre putabam,  
Territus in sompnis et timefactus eram:  
Ductus in ambiguis dixi quam sepe periclis,  
Quod michi naue mea tucius equor erat.  
Sic ego concussus Euros Zephirosque timebam,

Et gelidum Boream precipitemque Nothum:  
Quatuor hii venti partes per quatuor orbis  
Flant, nec obesse suis flatibus vila queunt.  
Nostra per aduersas agitur fortuna procellas,  
Sorte nec vila mea tristior esse potest. 1780  
Talia fingebam misero michi fata parari,  
Demeritoque meo rebar adesse malum.  
Sic mecum meditans, tacito sub murmure dixi,  
'Hec modo que pacior propria culpa tulit.'  
Non latuit quicquam culparum cordis in antro,  
Quin magis ad mentem singula facta refert:  
Cor michi commemorat scelerum commissa meorum,  
Vt magis exacuat cordis ymago preces.  
Non fuit ex sanctis quem non mea lingua precatur,  
Dum maris interitum previa signa parant: 1790  
Accensam summi precibus mulcere paratus  
Iram, cum lacrimis sic mea verba dedi.

'Conditor O generis humani, Criste redemptor,  
Est sine quo melius nil vel in orbe bonum,  
Dixisti, que tuo sunt omnia condita verbo,  
Mandasti, que statim cuncta creata patent;  
Inque tuo verbo celi formantur, et omnem  
Spiritus ornatum fecerat inde tuus.  
Per te sunt et aque, certus quoque terminus illis,  
Est per te piscis et maris omne genus: 1800  
Aera cum genere volucrum sermone creasti,  
Quatuor et vento partibus ora dabas:  
Cunctipotensque tuo fundasti numine terram,  
Fixit quam stabilem prouidus ordo tuus:  
Cunctaque terrigena viuunt animalia per te,  
Subque tua lege reptile quodque mouet.  
Sicut ymago tua tandem fuit et racionis  
Factus homo, quod opus sit super omne tuum;  
Qui precepta tua veteri serpente subactus  
Preterit, et pomi mors sibi morsus erat. 1810  
Set pietate tibi quod eum de morte resumas,  
Virginis ex carne tu caro factus eras;  
Sicque parens nostri generis de carnis amore

Efficeris, nobis gracior vnde fores.  
 Vt te credo deum sic esse meumque parentem,  
 Micius, oro, pater, tu mea fata rege !  
 Vt de morte crucis te non pudet esse cruentum,  
 Hoc ita, Criste meis tempore parce malis !  
 Qui Paulum pelago, Petrum de carcere, Ionam  
 Eripis a piscis ventre, memento mei ! 1820  
 Nescit abesse deus in se sperantibus, egros  
 Visitat, elisos erigit, auget opem.  
 Peccavi, redeo, miserere precor miserendi !  
 Tempus adest, miseros te refouere decet.  
 Parce, precor, fulmenque tuum tua tela reconde,  
 Que michi nunc misero tristia tanta parant.  
 'O ! cui fundo preces, te deprecor, intret in aures  
 Hec mea diuinias vox lacrimosa tuas !  
 Iam prope depositus sum mundo, frigidus, eger,  
 Seruatus per te, si modo seruer, ego. 1830  
 O superi, fractis, dixi, 'succurrите remis,  
 Et date naufragio litora tuta meo !  
 Que genus humanum curauit origine Cristi,  
 Materiam cure prebeat illa mee !  
 Te precor, alme deus, sit vt illa michi mediatrix,  
 Que peperit florem flore manente suo.  
 Cur mala que pacior nullo michi tempore soluis ?  
 Ecce simul morimur, respice, plaga monet !'  
 Cum magis in precibus prostratus proxima dampna  
 Expectans timui speque salutis egens, 1840  
 Impetus en subito ruit, et concussit ad ymum  
 Nauem, quam Cille deuorat ira prope :  
 Vis tamen alma precum sitibunda voragini ora  
 Obstruxit, nec ea fit saciata vice.  
 Semper in incerto fuimus quid fata pararent,  
 Nec spes pro nobis, nec timor equus adest.  
 Micius ille perit subitis qui mergitur vndis,  
 Quam sua qui timidis brachia iactat aquis.  
 Absque quiete tamen rogat omnis votaque supplex  
 Impendit, que pias fundit ad alta preces. 1850

1848 timidis SCEHGHs timidus T tumidis D (corr.)

Hic fingit secundum visionem sompnii de quadam voce  
 diuina in excelsis clamante, et quomodo deus placatus tandem  
 precibus tempestates sedauit, et quomodo quasi in holocaustum  
 pro delicto occisus fuit ille Graculus, id est Walterus, furiarum  
 Capitaneus.

Cap<sup>m</sup>. xix. Clamor in excelsis, lacrime gemitusque frequentes,  
 Non veniam cassi preteriere dei ;  
 Attamen ipse maris Neptunus qui deus extat,  
 At mare pacificet, tunc holocausta petit.  
 Dona valent precibus commixta, per hec deus audit  
 Micius, et votis annuit ipse precum :  
 Cum magis ergo furit tumidi maris aucta procella,  
 Et magis in mortem visa pericla patent,  
 Vnus erat Maior Guillelmus, quem probitatis 1860  
 Spiritus in mente cordis ad alta mouet ;  
 Iste tenens gladium quo graculus ille superbus  
 Corruit, ex et eo pacificauit opus.  
 Vna peribat aus, quo milia mille reviunt,  
 Et furibunda deus obstruit ora maris.  
 Sit licet hoc tarde, tunc nauis post scelus actum  
 Induit infelix arma coacta dolor.  
 Graculus en moritur ! sic non moriuntur inviti,  
 Quos prius ex rostro lesit ad arma suo :  
 Qui ferit ex gladio periit gladiator in illo,  
 Et magis infelix imbuit auctor opus : 1870  
 In scelus addendum scelus est, in funera funus,  
 Sic luet exactor quod tulit ante malum ;  
 Inque leues abiit morientis spiritus auras,  
 Si petat inferius antra scit ipse deus.  
 Sic quia miliciam transumpsit ymagine monstri,  
 Irrita decepti vota colonis erant.  
 Cum magis est quicquid superi voluere peractum,  
 Desinit a furiis sors maledicta suis :  
 Forsitan illa dies erroris summa fuisse,  
 Si deus in tali morte negasset opus. 1880  
 O michi quanta tulit tantus solacia victor,  
 Obruta qui tante sortis ad alta leuat !  
 O benedicta manus, tam sufficiens holocaustum

1859 Willelmus D 1870 imbuit SG imbuit CEH incidet D  
1874 infernis E infernus D

Que dedit, vnde maris victa procella silet!  
 Nam deus vt voluit, plus dum fuit equoris vnda,  
 Grata superveniens hora salutis adest.  
 Quod deus ipse suam pro tempore distulit iram,  
 Vocis ab excelsa protulit ista sonus;  
 Aeris e medio diuina voce relatum  
 Tunc erat et nostris auribus ista refert: 1890  
 Dixit, 'Adhuc modicum restat michi tempus, et ecce  
 Differo iudicium cum pietate meum.'  
 Cilla per hoc verbum paciens restrinxit hiatum,  
 Quod prius exhausit protinus illa vomit;  
 Sicque iubente deo nauis, quam sua vorago  
 Sorbuit, erigitur equoris alta tenens:  
 Sic prius austerus stat sub moderamine motus,  
 Tantus celesti venit ab ore vigor:  
 Et iam deficiens sic ad sua verba reuixi,  
 Vt solet infuso vena redire mero.

1900

Conclamat naute, surgunt pariter properantque  
 Quilibet officium fortificare suum:  
 Sic inter medium vite mortisque reformant  
 Cursum, quo breuiter tunc ire putant:  
 Exiguam veli, que tunc tamen integra mansit,  
 Extollunt partem, ducat vt ipsa ratem.  
 Tanta fit ingluies et aquarum fluxus habundans,  
 Vix quod sedatas terra resumpsit aquas:  
 Set mare qui pedibus calcauit in orbe misertus,  
 Horrida compescens tempora leta dedit: 1910  
 Equora constrinxit celiique foramina clausit,  
 Et minus iratas cedere iussit aquas:  
 Nebula deiecit nimbis aquilone remotis,  
 Nec frigor vterius voce tonante furi:  
 Equoris arcet aquas, iubet vt sit terminus illis,  
 Ne maris infirmam plus terat ira ratem.  
 Tunc celo terras ostendit et ethera terris,  
 Et pelagi furias pescuit ipse feras:  
 Tunc loca concrescunt, quia decrescentibus vndis  
 Pax reddit, atque probis fit renouata salus. 1920

Fusca repurgato fugiebant numina celo,  
 Fulsit et optata clarior illa dies;  
 Ortaque lux radiis solidum patefecerat orbem,

Cessit et anterior sors tenebrosa malis.  
 Sic mare litus habet, plenos capit alueus ampnes,  
 Legibus atque noue tunc patuere vie:  
 Sic, deus vt voluit, cum sit moderacione vnda,  
 Leticie mixti convaluere metus.  
 Omnes tunc Cristum laudant, quod ab ore procelle 1930  
 Non sinit extinctos, set reparauit eos.  
 Tunc ego, deflexis genibus set ad ethera palmis  
 Tensis, sic dixi: 'Gloria, Criste, tibi!'  
 Hoc iterans gelida formidine frena resolui,  
 Leticieque noue spes michi mulcat iter.  
 Dum mare pacatum, dum ventus amicior esset,  
 Spes reddit et nautis corda subacta leuat.  
 Viribus ergo suis pauidus sibi nauta resumptis  
 Nauigat, vt portum pacis adire queat.  
 Carbasa mota sonant, iubet vti nauita ventis,  
 Subque noue sortis spe noua vela dari. 1940

Hic loquitur adhuc de naui visa in sompnis, id est de mente  
 sua adhuc turbata, vt si ipse mentaliter sompniando, quasi per  
 nauem variis ventis sine gubernaculo agitatam, omnes partes  
 mundi pro pace mentis scrutanda investigasset, et tandem in  
 partes Britannie maioris, vbi raro pax est, dicit se applicuisse.  
 Dicit etiam qualiter vox in sompnis sibi iniunxit quod ipse  
 omnino scriberet ea que de mundo in illo scrutinio vidisset et  
 audisset; et ita terminatur sompnium.

Cap<sup>o</sup>. xx. Clausit adhuc oculos sompnus, quo sompnia nauem  
 Semper pretendunt, que loco tuta petit,  
 Nec timor ambigue poterat cito cedere menti,  
 Quam prius ad portum salua venire queat.  
 Deficiunt remi iam ventis vndique fracti,  
 Ac vbi sors duxit nauis habebat iter:  
 Littora pacifica scrutans temptabat in omnem  
 Partem, nec poterat pacis habere locum;  
 Turbo set equoreis hanc tandem, prodolor! vndis  
 Expulit in portum quo fuit omne malum. 1950  
 Sic Cillam fugiens minus est nec lesa periclis,  
 Dum Cilla grauior Insula cepit eam.

*Between 1939 and 1940 D inserts Nauigat vt portum queat habere bonum  
 (marg. Deficit versus in copia).*

Cap. xx. Heading 1 idest H et D 7 scrutineo CE

Insula lata quidem fuit hec vallata rotundo,  
Que maris Occiani cincta redundat aquis.  
Ad portum veniens de naui concito litus  
Egressus pecii, turbaque magna michi  
Plebis in occursum iam venerat, ex quibus vnum  
Pre reliquis dignum contigit esse virum:  
A quo quesui, 'Dic, Insula qualis, et vnde  
Tantus adest populus, quis sit et inde modus?' 1960  
Ecce senex ille, portu qui stabat in illo,  
Reddit ista meis horrida verba sonis.

'Exulis hec dici nuper solet Insula Bruti,  
Quam sibi compaciens ipsa Diana dabat.  
Huius enim terre gens hec est inchola, ritus  
Cuius amore procul dissona plura tenet.  
Nam quia gens variis hec est de gentibus orta,  
Errores varie condicionis habet:  
Egregie forme sunt hii, set condicione  
Ecce lupis seu plus feritatis habent. 1970  
Non metuunt leges, sternunt sub viribus equum,  
Victaque pugnaci iura sub ense cadunt:  
Legibus inculta fraudes, scelus, arma, furores,  
Pluraque pestifera plebs nocumenta parit:  
Que gestant homines terre de partibus huius  
Pectora, sunt ipso turbidiora mari.  
Hec humus est illa vario de germe nata,  
Quam crux et cedes bellaque semper habent:  
Tristia deformes pariunt absinthia campi,  
Terraque de fructu quam sit amara docet. 1980  
Non magis esse probos ad finem solis ab ortu  
Estimo, si populi mutuus esset amor.'

Pluribus auditis que singula displicuerunt,  
Heu! michi corda dolor iam renouatus agit:  
Dulcius ipse michi numen nunc quando putabam,  
Fortune species obstat acerba mee.  
Cum video quam sunt mea fata tenacia, frangor,  
Spesque leuis magno victa timore silet:  
Sic ego fortune telis confixus iniquis  
Pectore concipio nil nisi triste meo: 1990

<sup>1954</sup> Occiani (occiani) SGHT <sup>1965</sup> inchola CED <sup>1965</sup> inchola S <sup>1965</sup> inchola  
CEHGDT

Attigeram portum, portu terrebar ab ipso,  
Plus habet infesta terra timoris aqua.  
Sic magis in terris dubiis iactatus et vndis,  
Nescio quo possum tutus habere fugam:  
Sic simul insidiis hominum pelagique labore,  
Et faciunt geminos ensis et vnda metus.  
Cur ego tot gladios fugii, tociensque minata  
Obruit infelix nulla procella caput?  
Iam mea spes perit, tali dum sors mea portu, 2000  
Est vbi nulla quies, duxit habere moram.  
Fugerat ore color, macies subduxerat artus,  
Sumebant minimos ora subacta cibos;  
Vtque leui Zephiro graciles vibrantur ariste,  
Frigida populeas vt quatit aura comas,  
Pergere cum volui, tremulus magis ipse iacebam,  
Et dolor in corde parturientis erat:  
Sic ego dumque queror, lacrime mea verba sequntur,  
Deque meis oculis terra recepit aquam.  
Viderit ista deus qui nunc mea pectora versat;  
Nescio quid terris mens mea maius agat: 2010  
Sic iterum corde nouiter spasmatu ab infra  
In terram cecidi mortis ad instar ego.  
Tandem cumque leuans oculos et corpus ab ymo  
Erexi, vidi post et vtrumque latus,  
Ecce nichil penitus fuerat, velut umbra set omnis  
Turba que nauis abest, solus et ipse fui.  
Cum me perpendi solum, magis vnde dolebam,  
Fit contristatus spiritus atque meus,  
Ipsa michi subito vox celica, quam prius ipse  
Audieram, verbi more sequentis ait. 2020

'Nil tibi tristitia confort; si dampna per orbem  
Circuiendo mare te timuisse liquet,  
Immo tibi pocius modo prouideas, quia discors  
Insula te cepit, pax vbi raro manet.  
Te minus ergo decet mundanos ferre labores,  
Munera nam mundus nulla quietis habet:  
Si tibi guerra foris pateat, tamen interiori  
Pace, iuuante deo, te pacienter habe.

<sup>1994</sup> possim D <sup>2010</sup> magis EDT <sup>2017</sup> inde CE <sup>2022</sup> Circuendo  
SHT Cirkueundo CED

Dum furor incurrit, currenti cede furori,  
Difficiles aditus impetus omnis habet; 2030  
Desine luctari, referant tua carbasa venti,  
Vtque iubent fluctus sic tibi remus eat.  
Siue die laxatur humus seu frigida lucent  
Sidera, propicias que freta ventus agit:  
Tempora sicut erunt sic te circumspice, nulla,  
Sint nisi pre manibus, secula visa cape:  
Ludit in humanis diuina potencia rebus,  
Et certam presens vix habet hora fidem.  
Semper agas timidus, et que tibi leta videntur,  
Dum loqueris fieri tristia posse putes: 2040  
Qui silet est firmus, loquitur qui plura repente,  
Probra satis fieri postulat ipse sibi.  
Ocia corpus alunt, corpus quoque pascitur illis,  
Excessusque tui dampna laboris habent:  
Gaudet de modico natura, set illud habundans  
Quod nimis est hominem semper egere facit:  
Te tamen admoneo, tibi cum dent ocia tempus,  
Quicquid in hoc sompno visus et auris habent,  
Scribere festines, nam sompnia sepe futurum  
Indicium reddunt.' Vocis et ecce sonus 2050  
Amplius hiis dictis non est auditus, et illo  
Contigit vt gallus tempore more suo  
Lucis in aurora cantum dedit, vnde remoto  
Ewigilans sompno sic stupefactus eram,  
Vix ego quod potui cognoscere si fuit extra  
Corpus quod vidi, seu quod abintus erat.  
Nunc quia set vigilo viuens terrore remoto,  
Est mea cum domino spes magis aucta meo.

Hic reddit vigilans gracias deo, qui eum in sompnis a pelago  
liberavit.

Cap<sup>m</sup>. xxi. Clarius aspiciens oculis vigilantibus orbem,  
Nubeque depulsa convaluisse diem, 2060  
Percipiens furias veteri de lege repressas,  
Et noua quod fractum lex reparasset ifer,  
Illesosque mei nunc palpans corporis artus,  
Exultans humeros sustinuisse caput,  
Creuit amicicia vetus et fugit impetus ire,

Et renouantur eo tempore iura viri.  
Tunc prius ad dominum cordis nouitate reviuens  
Cantica celsithrono laudis honore dedi:  
Non tamen ad plenum fateor mea corda redisse,  
Qui mala tam subito tanta per ante tuli. 2070  
Qui semel est Iesus fallaci piscis ab hamo,  
Sepe putat reliquis arma subesse cibis;  
Vix satis est hodie tutus qui corruit heri,  
Tranquillas eciam naufragus horret aquas:  
Sic ego dum recolo steteram quibus ipse periclis,  
Dampna priora michi posteriora timent:  
In pelago positus sic me meminisse procellam  
Nosco, quod a mentis non cadet ipsa vii.  
Me miserum! quanto cogor meminisse dolore  
Temporis illius, quo dolor omnis erat! 2080  
Nunc tamen euasus, quia viuo furore remoto,  
Cum laudis iubilo cantica soluo deo.  
Stella Maria maris, michi que mulcebat amaros  
Fluctus ne periam, laudo quietus eam.  
Gaudeo pre cunctis quia non me Cilla vorauit,  
In cuius positus gutture totus eram:  
Hostibus in mediis interque pericula vessor,  
Set pietate dei sum modo liber ego:  
Sic ego transiui latebras horrenda ferarum  
Oraque, nec mortis morsus habebar eis. 2090  
Vt rosa per spinas non nouit acumine pungi,  
Eripior gladio sic ferientis ego.  
Sic cum rusticitas fuerat religata catherinis,  
Et paciens nostro subiacet illa pede,  
Ad iuga bos rediit, que sub aruis semen aratis  
Creuit, et a bello rusticus ipse silet.  
Sic ope diuina Sathane iacet obruta virtus,  
Que tamen indomita rusticitate latet;  
Semper ad interitum nam rusticus insidiatur,  
Si genus ingenuum subdere forte queat. 2100  
Nam fera rusticitas nullo moderatur amore,  
Corde set aduerso semper amara gerit:  
Subditus ipse timet nec amat seruilis arator,

<sup>2070</sup> perante H  
<sup>2080</sup> soluo] psallo D

<sup>2073</sup> hodie tutus S tutus hodie CEHGDT  
<sup>2094</sup> ipsa C

Fedat et hunc cicius qui magis ornat eum.  
 Forcius ergo timor stimulans acuatur in ipsos,  
 Et premat hos grauitas quos furiit illa quies :  
 Qui premunitur non fallitur ingeniosus,  
 Per mala preterita dampna futura cauet.  
 Dextra tamen domini virtutem fecit, vt illa  
 A me transiret plena furore dies : 2110  
 Contritus laqueus est, a quo liber abiui,  
 Et velut a sompno sum renouatus homo.  
 Vt cecidi subito, subiti releuamina casus  
 Dat deus, et lapsum subleuat ipse pedem :  
 Viuere nunc video michi sompnum, nunc puto vitam  
 Esse meam, nouitas cor michi tanta tenet :  
 Me polus absoluist, quamuis sua fulmina misit,  
 Terret nec nocuit illa procella michi.

Qui michi consilium viuendi mite dedisti,  
 Cum foret in misero pectore mortis amor, 2120  
 Est michi, quod viuens tibi iam pro munere laudes  
 Reddo, quod vltterius sis michi vita deus :  
 Gaudia posco michi renoues, deus, est quia longo  
 Tempore leticie ianua clausa mee.  
 O mea si tellus, quam non absorbuit equor,  
 Debita sciret eo reddere vota deo !  
 Castigauit eam dominus, nec in vlcera mortis  
 Tunc tradidit, set adhuc distulit ira manum.  
 Quicquid agant laudis allii, non ipse tacebo,  
 Quem deus in furiis vulsit ab ore maris : 2130  
 Set quia tunc variis tumidis iactabar in vndis,  
 Que mea mens hausit, iam resoluta vomet.  
 Me licet vnda maris rapuit, mea numina laudo,  
 Fluctibus ingenium non cecidisse meum.  
 Dum mea mens memor est, scribens memoranda notabit,  
 In specie sompni que vigilando quasi  
 Concepit pauidus, nec dum tamen inde quietus  
 Perso, set absconso singula corde fero.  
 Non dedimus sompno quas sompnus postulat horas, 2140  
 Tale licet sompnis fingo videre malum.  
 O vigiles sompni, per quos michi visio nulla  
 Sompniferi generis set vigilantis erat !

2123 renoues est et quia D

O vigiles sompni, qui sompnia vera tulistis,  
 In quibus exemplum quisque futurus habet !  
 O vigiles sompni, quorum sentencia scriptis  
 Ammodo difficilis est recitanda meis !  
 Vt michi vox alias que vidi scribere iussit,  
 Amplius ex toto corde vacare volo :  
 Quod solet esse michi vetus hoc opus ammodo cedat,  
 Sit prior et cura cura repulsa noua. 2150

Hic dicit quod ipse iam vigilans, secundum vocem quam in sompnis acceperat, intendit scribere ea que de mundo vedit et audiuit, et vocat libellum istum Vox Clamantis, quia de voce et clamore quasi omnium conceptus est; vnde in huius operis auxilium spiritum sanctum inuocat.

Incipit prologus libri Secundi.

Multa quidem vidi diuersaque multa notaui,  
Que tibi vult meminens scribere penna sequens:  
Non tamen inceptis ego musas inuoco, nec diis  
Immo, set solo sacrificabo deo.  
Spiritus alme deus, accendens pectore sensus,  
Intima tu serui pectoris vre tui:  
Inque tuo, Criste, laxabo nomine rethe,  
Vt mea mens capiat que sibi grata petit.  
Incepsum per te perfecto fine fruatur  
Hoc opus ad laudem nominis, oro, tui.  
Qui legis hec eciam, te supplico, vir, quod honeste  
Scripta feras, viciis nec memor esto meis:  
Rem non personam, mentem non corpus in ista  
Suscipte materia, sum miser ipse quia.  
Res preciosa tamen in vili sepe Minera  
Restat, et extracta commoditate placet:  
Hoc quod in hiis scriptis tibi dat virtutis honestas  
Carpe, nec vila tumens vteriora pete.  
Si te perstimulet stilus hic stillatus in aure,  
Sit racio medicus mulceat inde graue:  
Et si compositis verbis non vtar, vt illis  
Metra perormentur, cerne quid ipsa notant:  
Et rudis ipse rude si quid tractauero, culpe  
Qui legis hoc parce, quod latet intus habe:

*Heading L resumes here*      <sup>1</sup> vocem] visionem DHs      <sup>2</sup> acceperat  
*et ex plebis voce communi concepit L*

Incipit prologus &c. om. L      <sup>20</sup> Sic EDL Set T

Et si metra meis incongrua versibus errent,  
Que sibi vult animus congrua vota cape.  
Rethorice folia quamuis formalia desint,  
Materie fructus non erit inde minor:  
Sint licet hii versus modice virtutis ad extra,  
Interior virtus ordine maior erit.

Quamuis sensus hebes obstet, tamen absque rubore  
Que mea simplicitas sufficit illa dabo.

In sene scire parum multum solet esse pudori  
Temporis amissi pre grauitate sui;

Set modo siqua sapit docet aut prouisa senectus,  
Vix tamen hec grata vox iuuenilis habet.

Que scribunt veteres, licet ex feruore studentes,  
Raro solent pueris dicta placere satis;

Obloquioque suo quamuis tamen ora canina  
Latrent, non fugiam quin magis ista canam.

De saxis oleum, de petra mel tibi sugge,  
Deque rudi dociles carmine sume notas.

Quicquid ad interius morum scriptura propinat,  
Doctrine causa debet habere locum:

Verba per os asini qui protulit, hic mea spes est,  
Eius vt ad laudem cercius ore loquar.

Ergo recede mee detractor simplicitati,  
Nec mea scripta queat rodere liuor edax:

Lite vident aures lectoris et obuia cedant  
Murmura, differ opus, invida turba, tuum.

Si tamen incendat Sinon Excetraque sufflet,  
Non minus incepsum tendo parare stilum.

Est oculus cecus, aurisque manet quasi surda,  
Qui nichil vt sapiat cordis ad yma ferunt;

Et si cor sapiat quod non docet, est quasi pruna  
Ignea, sub cinere dummodo tecta latet.

Nil fert sub modio lucens candela reconsa,  
Pectoris aut sensus ore negante loqui.

Quid si pauca sciām, numquid michi scribere pauce  
Competit, immo iuuat alter vt illa sciāt.

De modicis igitur modicum dabo pauper, et inde  
Malo valere parum quam valuisse nichil.

Non miser est talis, aliquid qui non dare possit;

<sup>29</sup> Sunt C      <sup>51</sup> Symon excetraque L si non excetraque D

Si dare non possum munera, verba dabo.  
 Attamen in domino credenti nulla facultas  
 Est impossibilis, dum bene sentit opus.

Gracia quem Cristi ditat, non indiget ille;  
 Quem deus augmentat possidet immo satis:  
 Grandia de modico sensu quandoque parantur,  
 Paruaque sepe manus predia magna facit: 70  
 Sepius ingentes lux pellit parua tenebras,  
 Riuulus et dulces sepe ministrat aquas.  
 Constat difficile iustum nichil esse volenti;  
 Ut volo, sic verbum det deus ergo meum.  
 Non tamen ex propriis dicam que verba sequuntur,  
 Set velut instructus nuncius illa fero.  
 Lectus ut est variis florum de germine fauus,  
 Lectaque diuerso litore concha venit,  
 Sic michi diuersa tribuerunt hoc opus ora,  
 Et visus varii sunt michi causa libri: 80  
 Doctorum veterum mea carmina fortificando  
 Pluribus exemplis scripta fuisse reor.  
 Vox clamantis erit nomenque voluminis huius,  
 Quod sibi scripta noui verba doloris habet.

Hic dicit, secundum quod de clamore communi audiuit,  
 qualiter status et ordo mundi precipue in partibus istis in  
 pelus multiplicitate variantur; et quomodo super hoc unus  
 quisque fortunam accusat.

**Incipit liber Secundus.**

Cap<sup>m</sup>. i. **I**ncausti specie lacrimas dabo, de quibus ipse  
 Scribam cum calamo de grauitate nouo.  
 Esse virum vanum Salomon dat et omnia vana,  
 Datque nichil firmum preter amare deum.  
 Quotquot nascentur vox illis prima doloris,  
 Incipit a fletu viuere quisquis homo:  
 Omnes post lauacrum temptacio multa fatigat,  
 Demonis ars, carnis pugna, cupido grauis:

Cap. i. 8 pugna CEDL pugna S pugna H

Nunc stat et abstat homo, fiat et efflat, floret et aret,  
 Nec manet vilus ei firmus in orbe gradus. 10  
 Incipit ecce mori vir, cum iam fuderit alio  
 Mater eum, quem post terminat hora breuis:  
 Infantem fletus, puerum scola, luxus adultum,  
 Ambicioque virum vexat auara senem;  
 Sola nec vna dies homini tam leta ministrat,  
 Quin dolor ex aliqua parte nocebit ei.

Si tamen esse potest quod felix esset in orbe,  
 Dudum felices nos dedit esse deus:  
 Quicquid summa manus potuit conferre creatis,  
 Contulit hoc nobis prosperitatis opus. 20  
 Huius erat vite, si que sit, gloria summe,  
 Nobis pre reliquis amplificata magis.  
 Tuncque fuisse deum nobis specialius omni  
 Conuersum plebe clamor ubique fuit:  
 Famaque sic mundi, nobisque beacius omni  
 Tempus erat populo nuper; et ecce modo  
 Turpiter extincta sunt nostra beata vetusta  
 Tempora, nam presens torquet amara dies.  
 Quam cito venerunt sortis melioris honores,  
 Tam cito decasum prosperitatis habent:  
 Nos cito florimus, set flos erat ille caducus,  
 Flammaque de stipula nostra fit illa breuis;  
 Set labor et cure fortunaque moribus impar,  
 Quod fuit excelsum iam sine lege ruunt.  
 Nostra per inmensas ibant preconia gentes,  
 Que modo mutata sorte pericla ferunt.

Querunt propterea plures cur tempus et aura  
 Stat modo deterius quam solet esse prius:  
 Querunt cur tanta nobis quasi cotidiana  
 Assunt insolita nunc grauiora mala:  
 Nam nichil in terra contingens fit sine causa, 40  
 Sicut Iob docuit, qui mala multa tulit.  
 Se tamen inmunes cause communiter omnes  
 Dicunt, ut si quis non foret inde reus;  
 Accusant etenim fortunam iam variatam,  
 Dicentes quod ea stat magis inde rea.  
 Fortunam reprobat nunc omnis homo, quia mutat

9 obstat ED

Et vertit subito quod fuit ante retro;  
Hocque potest speculo quisquis discernere nostro,  
Que fuerat dulcis nunc fit amara nimis.

50

Hic corripit fortunam et sui euentus inconstanciam  
deplangit.

Cap<sup>m</sup>. ii. O tibi que nomen fortune concipis, illos  
Quos prius exaltas cur violenta premis?  
Hiis quibus extiteras pia mater dira nouerca  
Efficeris, vario preuaricata dolo:  
Quos conformasti tua sors dissoluit in iram,  
Quos magis vnisti spergis in omne malum.  
Si pudor in facie fallente tua foret vllus,  
Te quibus associas non inimica fores.  
Dudum flore rosa fueras, set mole perurens  
Nunc vrtica grauas quos refouere soles:  
Mobilis est tua rotâ nimis, subito quoque motu  
Diuitis ac inopis alterat ipsa status.  
Malo set a fundo descendere summa rotarum,  
Quam quod ab excelsô lapsus ad yma cadam:  
De super in subitus absit, de sub michi supra  
Adueniat, namque prospera lapsa nocent.  
Est nam felicem puto maxima pena fuisse,  
Quam miser in vita posset habere sua.  
Est o quam verum, quod habenti multa dabuntur,  
Qui tenet et pauca perdere debet ea!  
Hoc patet in nobis, quibus olim magnificatis  
Gens quasi tota simul subdita colla dabant.  
Patria nulla fuit, vbi nos in honore locati  
Non fuimus, set nunc laus vetus exul abest:  
Ornis enim terra nobis querebat habere  
Pacem, nunc guerras hostis vbiique petit.  
Qui plana fronte dudum comparuit, ecce  
Cornua pretendens obuius ipse venit;  
Et qui cornutus fuerat, nunc fronte reflexa,  
Cornibus amissis, vix loca tutus habet.  
Que fuerat terra bene fortunata per omne,  
Dicunt fortunam iam periisse suam.

60

70

80

Dic set, fortuna, si tu culpabilis extas;  
Credo tamen causa nulla sit inde tua:  
Det quamvis variam popularis vox tibi famam,  
Attamen ore meo te nichil esse puto.  
Quicquid agant alii, non possum credere sorti,  
Saltem dumque deus sit super omne potens.  
Non te fortunam quicquid michi ponere credam,  
Vt gens que sortem murmurat esse tuam:  
Hac tamen in carta, que sit sibi ficta figura,  
Scribere decreui, set nichil inde michi.

90

Hic describit fortunam secundum aliquos, qui sortem fortune  
dicunt esse et casum.

Cap<sup>m</sup>. iii. O fortuna, tibi quod aperte dicitur audi,  
Inconstans animi, que nec es hic nec ibi:  
Es facie bina, quarum deformiter vna  
Respicit, ex et ea fulminat ira tua;  
Altera felici vultu candescit, et ipsi  
Hanc qui conspicunt, prospera cuncta gerunt.  
Sic odiosa tua facies et amabilis illa  
Anxia corda leuat sepeque leta ruit:  
Ex oculo primo ploras, ridesque secundo,  
Ac econuerso, te neque noscet homo.  
Dum geris aspectum duplum variata per orbem,  
Non te simplicibus constat inire viis.  
Prosperitate tua stetero si letus in orbe,  
Dum puto securo stare, repente cado;  
Et timet incerta cor sepe doloris in umbra,  
Cum michi leticia cras venit ecce noua.  
Omnia suntque tuo tenui pendencia filo,  
Qui plus credit eis fallitur atque magis;  
Sique leues oculi sint ictus, sunt leuiora  
Ordine precipiti pendula fata tua.

100

110

Munera nulla iuvant vt te possint retinere,  
Nec domus est certa que stat in orbe tua.  
Tu grauior saxis, leuior tu quam leuis aura,  
Asperior spinis, mollior atque rosis:  
Tu leuior foliis tunc cum sine pondere siccis  
Mobilibus ventis arida facta volant;  
Et minus est in te, quam summa pondus arista,

Que leuis assiduis solibus vsta riget.  
Tu modo clara dies, modo nox terrore repleta;  
Tu modo pacifica, cras petis arma tua:  
Nunc tua deliciis sors fulget, nunc et amaris  
Pallet, vt incerta des bona desque mala:  
Parca que larga manu tu singula premia confers,.  
Ac aufers cui vis, sic tua fata geris.

Non Iris tot diuersos in nube colores,  
Marcius aut varia tempora Mensis habet,  
Quin magis in mille partes tua tempora scindis,  
Omnia dissimili tincta colore gerens.  
Est meretrice tuus amor et fallacior omni,  
Et velut vnda maris sic venis atque redis:  
Nemo sciet sero que sit tua mane voluntas,  
Nam tua mens centri nescit habere locum:  
Omne genus lustras, nec in vlo firma recumbis,  
Turbinis et vento te facis esse parem.  
Non tua conceptam michi firmant oscula pacem,  
Nam tua principia finis habere negat:  
Est sine radice tua plantula, nec diurni  
Floris habet laudem, namque repente cadit.  
Quod sibi permauent tua nil sapiencia confert,  
Set sunt ambigua singula dona tua:  
Est tua prosperitas aduersis proxima dampnis,  
Et tua, si que sit, gloria rite breuis.

Hic tractat viterius de mutacione fortune secundum quod dicunt: concludit tamen in fine, quod neque sorte aut casu, set ex meritis vel demeritis sunt, ea que hominibus contingunt.

Cap<sup>m</sup>. iii. Frustrantur cuncti querentes gaudia mundi,  
Nam fortuna nequit mel sine felle dare:  
Invidie comes est melior fortuna, nec vñquam  
Fida satis cuiquam, mobilis immo manet.  
Quis miser ignarus fortune nesciat actus?  
Quod dat idem tollit, infima summa facit.  
Fert vt luna suam fortuna perambula speram,  
Decrescit subito, crescit et illa cito:  
Crescit, decrescit, stabilis nec in ordine sistit,

<sup>152</sup> Crescit decrescit/crescit D      <sup>153</sup> Crescit, decrescit] Decrescit  
subito D

120

130

140

150

Est nunc subtus ea, nunc et in orbe supra.  
Regnabo, regno, regnai, sum sine regno,  
Omnes sic breuiter decipit illud iter.  
Motibus innumeris variare momenta dierum,  
Omne quod instituunt fata perire sinunt.  
Quando fauet fortuna caue, rota namque rotunda  
Vertit, et inferius que tulit alta premit:  
Quos vocat eicit, erigit, obruit, omnia voluit,  
Esse suum proprium vendicat ipsa dolum.  
Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,  
Et manet in nullo cotidiana loco:  
En rapuit quocumque dedit fortuna beatum,  
Fit macer et subito qui modo crassus erat.  
Dum iuuat et vultu ridet fortuna sereno,  
Prospera tunc cuncta regna sequntur opes:  
Cum fugit illa, simul fugiunt, nec noscitur ille  
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

Monstrat in exemplis anni mutabile tempus,  
Quam fortuna suis stat varianda modis.  
Non est fortuna talis quin fallat amica,  
Dum mentita sue lex regit acta rote.  
Hec rota continue per girum de leuitate  
Vertitur, et nullo tempore fixa manet:  
Hec rota personas mundi non excipit vilas;  
Hec rota castigat, soluit, et omne ligat.  
Non illam flectis precibus, non munere mulces,

Non nullis lacrimis nemo mouebit eam:  
Non sexus, non condicio, non ordo vel etas,  
Nil compellit eam cum pietate pati.  
Ciuis et agricola, rex, rusticus, albus et ater,  
Doctus et insipiens, diues inopsque simul,  
Mitis et impaciens, pius, atrox, equus, iniquus,  
Sunt in iudicio, iudice sorte, pares.

Hos premit, hos releuat, leuat hos vt ad yma retrudat,  
Interutrumque iocat quos ad vtrumque vocat:  
Ludit et illudit rebus, cum lubricus axis  
Labitur et secum lubrica queque facit.  
Hec rota nugatrix sic girovagatur eodem  
Motu, ne possit rebus inesse quies.

160

170

180

190

168 cuncta C      174 tegit CE

Impetus euerit quicquid fortuna ministrat  
Prospera, nec stabilem contulit ipsa statum.  
Heu! cur tanta fuit concessa potencia tali,  
Cui nichil est iure iuris in orbe datum?  
Si quid iuris habet, surrepcio dicitur esse,  
Nam de iure nichil quo dominetur habet.  
Sic dicunt homines, qui credunt omnia casu  
Quod deus extruxit ipsa mouere potest: 200  
Set fortuna tamen nichil est, neque sors, neque fatum,  
Rebus in humanis nil quoque casus habet:  
Set sibi quisque suam sortem facit, et sibi casum  
Vt libet incurrit, et sibi fata creat;  
Atque voluntatis mens libera quod facit actum  
Pro variis meritis nomine sortis habet.  
Debet enim semper sors esse pedisseca mentis,  
Ex qua sortitur quod sibi nomen erit:  
Si bene vis, sequitur bona sors; si vis male, sortem 210  
Pro motu mentis efficis esse malam.  
Si super astra leues virtutum culmine mentem,  
Te fortuna sue dicit ad alta rote:  
Set si subrueris viciorum mole, repente  
Tecum fortunam ducis ad yma tuam.  
Expedit vt sortem declines deteriorem,  
Dum tuus est animus liber vtrumque sequi.

Hic dicit secundum scripturas et allegat, qualiter omnes  
creature homini iusto seruientes obediunt.

Cap<sup>m</sup>. v. Dixerat ista deus, si que preceperit ipse  
Quis seruare velit, prospera reddet ei,  
Campos frugiferos, botris vinetaque plena,  
Temperiem solis et pluuiialis aque; 220  
Sidera compescet, Saturnum reddet amenum,  
Qui fuerat pestis tunc erit ipse salus;  
Inque suas metas gladius non transiet, immo  
De virtute sua singula bella fugat.  
Sic pax, sic corpus sanum, sic copia rerum  
Sunt homini iusto, dum timet ipse deum:  
Tempore quo iustus steterit, stant prospera secum,  
Sique cadat iustus, prospera iure cadent;  
Nam retrouersantur peruersi prospera iusti,

Cumque malus fuerit, carpet et ipse mala.  
Sic deus ex meritis disponit tempora nostris,  
Vt patet exemplis, si memoranda legis.  
Angelus hic cecum Raphael sanare Tobiam  
Euolat e celis pronus in orbe viris:  
Imperio iusti nequeunt obstare subacti  
Tortores baratri, set famulantur ei:  
Ac elementorum celestia corpora iustum  
Subdita iure colunt, et sua vota ferunt.  
In virtute dei sapiens dominabitur astra,  
Totaque consequitur vis orizontis eum: 240  
Circulus et ciclus, omnis quoque spera suprema  
Sub pede sunt hominis quem iuuat ipse deus.  
Sol stetit in Gabaon iusto Iosue rogante,  
Nec poterat gressus continuare suos;  
Imperio Iosue solis rota non fuit ausa  
Currere, set cursus nescia fixa stetit:  
Stella quidem natum patefecit nuncia Cristum,  
Quo pacem iustis reddidit ipse deus.  
Aeream pestem legimus sanasseque sanctum  
Gregorium Rome, subueniente prece. 250  
Diuisit Moyses mare virga percuciente,  
Quo poterat populus siccus inire pedes:  
Firma fides Petri dum cepit credere Cristi  
Verba, viam pedibus prebut vnda maris:  
Propter Heliseum limpharum gurgite mersum  
Ferrum transiliit desuper atque reddit.  
Ignea tres pueros fornax suscepit Hebreos,  
Flamma set illesis victa pepert eis.  
Terra set Hillario, que plana fuit prius, almo  
Se leuat, et sedes alta recepit eum: 260  
Ex duris Moyse saxis heremique iubente  
Dum saliunt fluctus, gens bibit atque pecus:  
Montes rex Macedum diuisos consolidauit;  
Ex precibus iustis sic dedit esse deus.  
Omnis in orbe fera iusti virtute subacta  
Est, draco sique leo, quos sibi subdit homo:  
Namque per hoc iustum nouit Babilon Danielem,  
Romaque Siluestrum senserat esse sacrum.

Aeris et volucres iussu Moysi ceciderunt,  
Inque cibos populi subiacuere dei: 270  
Et piscis triduo Ione seruuit in vndis,  
Dum Niniue portu ventre refudit eum.  
Omnia sic iusto patet vt diuina creata  
Subueniunt homini, subdita sunt et ei.  
O quam diues homo, quam magno munere felix,  
Cui totus soli subditur orbis honor!  
Felix pre cunctis, cui quicquid fabrica mundi  
Continet, assurgit et sua iussa facit.  
Si tamen econtra iustus sua verterit acta,  
Illoco peruersum senciet inde malum. 280

Hic tractat secundum scripturas et allegat, qualiter omnes  
creature homini peccatori aduersantes inobedient.

Cap<sup>m</sup>. vi. Dum Dauid ipse scelus commisit, in aere pestis  
Congelat, et gentem sternit vbique suam:  
Et pro peccatis Sodomam combusserat ignis,  
Estque Chore culpis eius adusta domus:  
Propter peccatum torrens peruenit aquarum,  
In moriendo quibus condolet omne genus:  
Et terre solida viciis fuerant liquefacta,  
Dum Dathan ac Abiren scissa cauerna vorat:  
Angelus et domini Sirie turmas dedit ensi,  
Lisiamque ducem fecit iniire fugam: 290  
Septem nocte viros Sarre iugulauit iniquos  
Demon et Asmodeus, vult ita namque deus.  
Nil fortuna potest iniusto ferre salutis,  
Namque creans obstant atque creata simul:  
Nil valet auferre iusto fortuna valoris,  
Nam deus ipse iuuat, et sibi fata nichil.  
Vires Sampsoni, vel sensum quis Salomonis,  
Absolon aut speciem contulit? Ecce quidem  
Corpora natura dedit, et sic exiget illa,  
Virtutes anime gracia sola dei: 300  
Sic patet vt fortuna nichil valet addere nobis,  
Tollerere seu quicquid, cum nichil ipsa dedit.  
Cum tam pacificum rexit Salomon sibi regnum,

<sup>279</sup> Attamen econtra si iustus D      <sup>294</sup> obstat CGDL      <sup>300</sup> anime  
CEHGDL animi S      <sup>303</sup> Paragraph here HDL

Tot quoque diuicie quando fuere sue,  
Cumque Philisteum constat vicesse gigantem  
Funda manu Dauid, num deus ista tulit?  
Cumque dies fuerant Ezechie morientis  
Sic elongati, mors quoque cessit ei,  
Set cum de culpa fuit excusata Susanna,  
Hester et in populo glorificata suo, 310  
Dic que fortuna tunc prospera contulit ipsis?  
Nulla, puto, neque iam quis rogo causet eam.  
In recolente deum non est fortuna colenda,  
Nec faciente malum sors valet esse bona.

Quid Pharaeo poterat fortunam corripuisse,  
Cumque furore sui tot periere viri?  
Aut Nabugodonosor sua quod mutata figura  
In pecus extiterat, quid nisi culpa dabat?  
Aut quid et ille Saül, qui regnum perdidit et se, 320  
Num quia precepti fit reus ipse dei?  
Non Azariam lepra candida sorte subegit,  
Vsurgans templi presulis acta sibi?  
Set quid Achab dicet? Naboth dum tolleret agrum,  
Eius auaricia fit sibi causa necis.  
Aut Roboas? quoniam senium bona dogmata spreuit,  
Diuisum regnum plangit habere suum.  
Aut Phinees et Ophni, quos belli strauerat ensis,  
Archaque capta fuit? preuia culpa tulit.  
Aut quid Hely, qui retrocadens sibi vertice fracto  
Corruuit a Sella, dum stupet inde noua? 330  
Non sors fortune poterat sibi talia ferre,  
Set pro peccatis contigit illud eis.  
Qui male fecerunt mala premia fine tulerunt,  
Namque malos iuste perdidit ipse male.  
Cum simulacra colens populus peccasset Hebreus,  
Illum tradebat hostibus ira dei:  
Cum prece pulsaret celum simulacra relinquens,  
Hostes terga dabant, illud agente deo.  
Iudei reges valuerunt tunc super omnes,  
Dum non iura sui preteriere dei; 340  
Hostiles acies populus Iudeus in armis  
Semper deuicit, dum bonus ipse fuit:  
312 illis CE

Set cum transgressi fuerant, tunc hostis vbique  
Victos, captiuos, sternere cepit eos.  
Ex meritis vel demeritis sic contigit omne,  
Humano generi quicquid adesse solet:  
Sic vario casu versabitur alea mundi,  
Dum solet in rebus ludere summa manus.

*Hic loquitur deo summo Creatore, qui est trinus et vnum,  
in cuius sciencia et dispositione omnia creata reguntur.*

Cap<sup>m</sup>. vii. Est deus omnipotens solus qui cuncta gubernat,  
Omnia preuidit totus vbique manens; 350  
Omnia ventura sibi sunt presencia semper,  
Quam prius et fiant, hec quasi facta videt.  
Ante creaturam genitor deus, et genitura  
Prima creatura, causaque prima mouens.  
Omne quod est esse certum sibi tempus habebat,  
Ante quidem tempus set deus omne fuit:  
Omne quod est, quod erat, quod erit, quod dicit ad esse,  
Est deus, et nec ei temporis esse datur:  
Nulla coeua deo poterunt se tempora ferre,  
Sic patet est dominus iure priore deus. 360  
Est pater, est natus deus, est et spiritus almus,  
Tres ita personas nomina tria sonant:  
Quelibet hic persona deus dominusque vocatur,  
Est deus et dominus solus et vnum idem.  
Hee sunt persone tres, set substancia simplex,  
Hee tres sunt vnum, non tria, tres set idem:  
Hiis tribus vna manet essentia, tres deus vnum,  
Hic nichil aut maius aut minus esse potest:  
Vna tribus mens, vna trium substancia simplex,  
Vna tribus bonitas, vna Sophia trium. 370  
Est ignis, calor et motus tria, sicque videntur;  
Hec tria sic semper feruidus ignis habet:  
Sic pater et natus et spiritus in deitate  
Tres sunt, et solum cum paritate notant.  
Cum dominus dicat, 'Hominem faciamus,' in illo  
Clarius insinuat que sit habenda fides:  
Hic persona triplex auctore notatur in vno,  
Cum maneat simplex in deitate sua.

*Hic loquitur de filio dei incarnato domino nostro Ihesu Christo,  
per quem de malo in bonum reformamur.*

Cap<sup>m</sup>. viii. Nunc incarnatum decet et nos credere natum,  
Quem colimus Cristum credulitate Ihesum. 380  
Sic opus incepit natus, de corde paterno,  
De gremio patris venit ad yma deus.  
De patre processit, set non de patre recessit,  
Ad mundi veniens yma, set astra tenens;  
Semper enim de patre fuit, fuit in patre semper,  
Semper apud patrem, cum patre semper idem:  
Assumpsit carnem factus caro, nec tamen illam  
Desiit assumens esse quod ante fuit:  
Vnitur caro sic verbo, quod sint in eadem  
Hec duo persona, verus vbique deus: 390  
Quod fuit, hoc semper mansit, quod non fuit, illud  
Virginis in carne sumpsit, et illud erat.  
Par opus huic operi nusquam monstratur, honori  
Nullus par potuit esse, Maria, tuo.  
Infirmus carne, set robustus deitate,  
Carne minor patre, par deitate manens:  
Hinc alit, hinc alitur, hinc pascit, pascitur inde,  
Hinc regit, hinc regitur, hinc nequit, inde potest:  
Hinc iacet in cunis et postulat vbera matris,  
Hinc testatur eum celicus ordo deum: 400  
Hinc presepe tenet artum sub paupere tecto,  
Hinc ad eum reges preuia stella trahit:  
Hinc sitis, esuries, lacrime, labor atque dolores,  
Et tandem potuit sustinuisse mori.  
Ponitur in precio res impreciabilis, ipse  
Proditur et modico venditur ere deus:  
Postque salus, vita, seu predacio claustris;  
Inde resurexit regna paterna petens:  
Iudicioque suo, finis cum venerit orbis,  
Attribuet cunctis que meruere prius. 410  
Sic homo perfectus, sic perfectus deus idem,  
Exsequitur plene quicquid vtrumque decet.  
Suggerit hoc verum mortale quod vbera suggit,  
Quod noua stella gerit suggerit esse deum:

Quod presepe tenet, hominis ; quod tres tribus vnum  
Muneribus laudant, cernitur esse dei.  
Vt sit inops diues, deus infans, rex sine lecto,  
Lactis opem poscit pascere cuncta potens,  
Hospicium presepe tenens, cui fabrica mundi  
Est domus, et thalamus ardua tecta poli. 420  
Venit vt esuriat panis, requiesque laboret,  
Fons siciat, penas possit habere salus,  
Lux obscurari tenebris, sol luce carere,  
Et contristari gloria, vita mori.  
Hec ita sponte tulit proprio commotus amore,  
Vt deus in nostra carne maneret homo.  
Sicut Adam fragilis fit primi causa doloris,  
Ille deus fortis letificauit opus :  
Culpa prioris Ade nascentes vulnerat omnes,  
Donec sanet eos vnda sequentis Ade. 430  
Primus Adam pecudi, volucri dominatur et angui,  
Sub pede noster habet cuncta secundus Adam.  
Tempore descensus veteri fuit ad loca flendi,  
Ad loca gaudendi lex noua fecit iter.  
Vt sic credat homo fore qui vult saluus oportet,  
Nec sciat vterius quam sibi scire licet.

Hic dicit quod quilibet debet firmiter credere, nec ultra quam  
decet argumenta fidei inuestigare.

Cap<sup>m</sup>. ix. Cum deus ex nichilo produxit ad esse creatam,  
Ipse deus solus et sine teste fuit.  
Vt solus facere voluit, sic scire volebat  
Solus, et hoc nulli participauit opus. 440  
Materies nulla, subtilis forma, perhennis  
Compago nostre nil racionis habet.  
Subde tuam fidei mentem, quia mortis ymagio  
Iudicis eterni mistica scire nequit :  
Letitiam luctus, mors vitam, gaudia fletus,  
Non norunt, nec que sunt deitatis homo :  
Non tenebre solem capiunt, non lumina cecus,  
Infima mens hominis nec capit alta dei.  
Nempe sacri flatus archanum nobile nunquam  
Scrutari debes, quod penetrare nequis. 450

Cum non sit nostrum vel mundi tempora nosse,  
Vnde creature nosse laborat homo ?

Nos sentire fidem nostra ratione probatam,  
Non foret humanis viribus illud opus.

Humanum non est opus vt transcendat ad astra,  
Quod mortalis homo non ratione capit :

Ingenium tante transit virtutis in altum,  
Transcurrit superos, in deitate manet.

Qui sapienter agit, sapiat moderanter in istis,  
Postulet vt rectam possit habere fidem. 460

Ingenium mala sepe mouent; non nosse virorum  
Est quid in excelsis construit ipse deus :

Multa viros nescire iuuat; pars maxima rerum  
Offendit sensus; sobrius ergo sciat :

Committat fidei quod non poterit racioni,  
Quod non dat racio det sibi firma fides.

Adde fidem, nam vera fides, quod non videt, audit,  
Credit, sperat, et hec est via, vita, salus.

Argumenta fides dat rerum que neque sciri  
Nec possunt mente nec ratione capi : 470

Vera fides quicquid petit impletat, omne meretur,  
Quicquid possibile creditur ipsa potest.

Lingua silet, non os loquitur, mens deficit, auris  
Non audit, nichil est hic nisi sola fides.

Vna quid ad solem sintilla valet, vel ad equor  
Gutta, vel ad celum quid cinis esse potest?

Vult tamen a modicis immensus, summus ab ymis,  
Vult deus a nobis mentis amore coli.

Hunc in amando modus discedat, terminus absit ;  
Nam velut est dignus, nullus amauit eum. 480

Ille docet quocumque decet, set et aspera planat,  
Curat fracta, fugat noxia, lapsa leuat :

Nam crux et roseo perfusi sanguine clavi,  
Expulso Sathana, nostra fuere salus.

Quisque Ihesum meditans intendere debet vt actus  
Deponat veteres et meliora colat.

Vita per hoc nomen datur omnibus, et benedicti  
Absque Ihesu solo nomine nemo potest.

Non est sanctus ut hic dominus, qui solus ab omni  
Labe fuit mundus, sanctificansque reos.  
Et nisi tu non est alius, quia sunt nichil omnes  
Hii quos mentitur aurea forma deos.  
Sic beat ecclesia nos per te larga bonorum,  
Et Sinagoga suis est viduata bonis.

Hic tractat quod in re sculptili vel conflatili non est con-  
fidendum, nec eciam talia adorari debent; set quod ex illis  
in ecclesia visis mens remorsa ad solum deum contem-  
plandum cicias commoueatur.

Cap<sup>m</sup>. x. O maledicta deo gens perfida, nempe pagani,  
Quos incredulitas non sinit esse sacros;  
Recta fides Cristi quos horret, nam sine recto  
Iure creatoris ligna creata colunt.  
Incuruatur homo, sese prosternit, adorat  
Ligna, creatoris inmemor ipse sui. 500  
Ligna sibi, lapides, que cernit ymagine sculpta,  
Quodlibet ipse suum iactitat esse deum.  
Quem deus erexit, pronus iacet ante fauillam,  
Et sculptam statuam stipitis orat homo;  
Orat opem, petit auxilium, nec muta refantur,  
Postulat et manibus quos creat ipsa manus.  
Quam vacui sensus est et rationis egeni,  
Quod dominus rerum res facit esse deos!  
O perturbate mentis reminiscere pensa,  
Cuius erat primo condicionis homo: 510  
Ad mentem reuoca titulum, quo te deus olim  
Insignem fecit, cum dedit esse tibi.  
Nonne fuit primo totus tibi conditus orbis,  
Subiecteque tuis nutibus eius opes?  
Non fuit ad cultum, factus fuit orbis ad usum,  
Esse tuus seruus, non deus esse tuus.  
Que iubet ergo tibi racio, quod vel faber igne  
Conflat vel ligno leuigat, esse deum?  
O miser, unde deos tibi dices ydola vana,  
Tuque deo similis ad simulacra iaces? 520  
Omnibus, heu! viciis hec est insanias maior,

500, 501 Lingua H

490

500

510

520

Numina muta coli, dum nichil ipsa sciunt.  
Que nec habent gressum, tactum, gustum neque visum,

Numquid ymaginibus sit reputanda salus?

Ad rationale quid brutum, quid minus illud

Ad vitale genus, quod neque viuit, erit?

Arboris est vna pars sulcus, pars et ymago,

Pars pulmenta coquit, arbor et vna fuit:

Ecce duas partes calco, set tercia sculpta

Nescio deberet qua ratione coli.

530

Fiat eis similis ea qui componit, et ille

Qui confidit eis': sic iubet ipse deus.

Dignior est sculptor sculpto: concluditur ergo

Quod nimis est fatuus qui colit actor opus.

Nos set ymaginibus aliter fruimur, puto, sculptis,

Non ad culturam ius minuendo dei;

Nos set habemus eas, memores quibus amplius esse

Possumus, vt sanctis intima vota demus.

Credimus esse deum, non esse deos, neque ritus

Nos gentilis habet: absit ab orbe procul!

540

Set cum causa lucri statuas componit et illas

Ornat, vt ex plebe carpere dona putet,

Qui sic fingit opus saltem deuotus ad aurum,

Nescio quid meriti fabrica talis habet.

Cumque deus Moysi fuerat de monte locutus,

Visa dei populo nulla figura fuit;

Nam si quam speciem populus vidisset, eadem

Forma fecisset sculptile forsitan opus.

Set deus ex tali sculpto qui spernit honorem,

Noluit effigiem quamque notare suam;

550

Est set ymago dei, puto, iuncta caro racioni;

Ex qua culturam vendicat ipse suam.

Vnde signa crucis in honore Ihesu crucifixi

Mentibus impressa sunt adoranda satis.

Vis crucis infernum vicit, veterisque ruine,

Demone deiecto, crux reparauit opus:

Crux est vera salus, crux est venerabile lignum,

Mors mortis, vite porta, perhenne decus:

Pectora purificat, mentemque rubrigine mundat,

Clarificat corda, corpora casta facit;

560

536 muniendo (?) C

557 signum D

559 mentesque CEH

Dat sensus, auget vires, tollitque timorem  
Mortis, et ad martem corda parata facit.  
In cruce libertas redit, et perit illa potestas,  
Hoste triumphato, que dedit ante moti :  
In cruce religio, ritus cultusque venuste  
Gentis concludunt omnia sacra simul :  
In cruce porta patet paradisi, flammeus ensis  
Custos secreti desiit esse loci :  
Ecce vides quantis prefulgeat illa figuris,  
Pagina quam pulcre predictet omnis eam. 570  
Mira quidem crucis est virtus, qua tractus ab alto  
Vnicus est patris, ut pateretur homo.  
Vi crucis infernum Cristus spoliauit, et illam,  
Perdita que fuerat, inde reuexit ouem :  
Vi crucis in celum concendit, et astra paterni  
Luminis ingrediens ad sua regna redit :  
Glorificata caro, que sustulit in cruce penas,  
Presidet in celo sede locata dei.  
Sic virtute pie crucis et celestis amoris  
Surgit in ecclesia gracia lege noua. 580

Hic dicit quod, exquib solus deus omnia creauit, solus  
est a creaturis adorandus, et est eciam magne rationis ut  
ipse omnia gubernet et secundum merita et demerita  
hominum in sua voluntate solus iudicet.

Cap<sup>m</sup>. xi. Semper id est quod erat et erit, trinus deus unus ;  
Nec sibi principium, nec sibi finis adest :  
Principium tamen et finem dedit omnibus esse,  
Omnia per quem sunt, et sine quo nichil est.  
Que vult illa potest ut sufficiens in idipsum ;  
Iussit, et illico sunt que iubet ipse fore :  
Cuius ad imperium famulantur cuncta creata,  
Hunc volo, credo meum celitus esse deum.  
Dum sit aperta dei manus omnia replet habunde,  
Auertereque se, vertitur omne retro. 590  
Singula iudicio sapiens sic diuidit equo,  
Fallere seu falli quod nequit ipse deus.  
Res est equa nimis, deus exquo cuncta creauit,

561 f. two lines om. T

Sint ut in arbitrio subdita cuncta suo.  
Cum solo causante deo sint cuncta creata,  
Num fortuna dei soluere possit opus ?  
Que nil principiis valuit, nec fine valebit,  
Estimo quod mediis nil valet ipsa suis.  
Quis terre molem celique volubile culmen,  
Quis ve mouere dedit sidera ? Nonne deus ? 600  
Quis ve saporauit in dulcia flumina fontes,  
Vel quis amara dedit equora ? Nonne deus ?  
Conditor orbis ad hoc quod condidit esse volebat,  
Ut deseruaret fabrica tota deo.  
Terram vestiuit herbis et floribus herbas,  
Flores in fructus multiplicare dedit :  
Invigilat summo studio ditescere terram,  
Et fecundare fertilitate sua :  
Nec satis est mundus quod flumine, fontibus, ortis,  
Floribus et tanto germine diues erat ; 610  
Res animare nouas, varias formare figuras,  
Et speciebus eas diuaricare parat.  
Diuersi generis animancia terra recepit,  
Ingemuitque nouo pondere pressa suo ;  
Distribuitque locos ad eorum proprietates,  
Iuxta quod proprium cuilibet esse dedit,  
Montibus hiis, illis convallibus, hiis nemorosis,  
Pluribus in planis dans habitare locis :  
Aera sumpsit aus, piscis sibi vendicat vndas,  
Planiciem pecudes, deuia queque fere. 620  
Ars operi dictat formas, opifexque figurat,  
Artificis sequitur fabrica tota manum.  
Fortune nichil attribuit, set solus ut ipse  
Cuncta creat, solus cuncta creata regit :  
Est nichil infelix, nichil aut de sorte beatum,  
Immo viri meritis dat sua dona deus.  
Quicquid adest igitur, sapiens qui scripta reuolut  
Dicet fortunam non habuisse ream :  
Hoc fateor vere, quicquid contingit in orbe,  
Nos sumus in causa, sint bona siue mala. 630

614 Ingenuitque DL

Hic dicit quod, ex quo non a fortuna, set meritis et demeritis,  
ea que nos in mundo prospera et aduersa vocamus digno dei  
iudicio hominibus contingunt, intendit consequenter scribere de  
statu hominum, qualiter se ad presens habent, secundum hoc  
quod per somnium superius dictum vidi et audiuit.

Incipit prologus libri terci.

Cum bona siue mala sit nobis sors tribuenda  
Ex propriis meritis, hiis magis hiisque minus,  
Fit mundique status in tres diuisio partes,  
Omnibus vnde viris stat quasi sortis opus,  
Et modo per via quia sors magis astat iniqua,  
Ponderet in causis quilibet acta suis :  
In quocumque gradu sit homo, videatur in orbe  
Que sibi sunt facta, sors cadit vnde rea.  
Non ego personas culpabo, set increpo culpas,  
Quas in personis cernimus esse reas.  
A me non ipso loquor hec, set que michi plebis  
Vox dedit, et sortem plangit vbique malam :  
Vt loquitur vulgus loquor, et scribendo loquelam  
Plango, quod est sanctus nullus vt ante status.  
Quisque suum tangat pectus videatque sequenter  
Si sit in hoc talis vnde quietus erit.  
Nescio quis purum se dicet, plebs quia tota  
Clamat iam lesum quemlibet esse statum.  
Culpa quidem lata, non culpa leuis, maculauit  
Tempora cum causis, nos quoque nostra loca :  
Nil generale tamen concludam sub speciali,  
Nec gero propositum ledere quemque statum.  
Nouimus esse status tres, sub quibus omnis in orbe  
More suo viuit atque ministrat eis.

*Heading Hic incipit ex quo L Incipit prologus libri tercii om. L  
9 set et S et in later hand) 13 vulgus] populus (ras.) C 16 Vt sit D  
Sit sic L*

Non status in culpa reus est, set transgredientes  
A virtute status, culpa repugnat eis.  
Quod dicunt alii scribam, quia nolo quod vlli  
Sumant istud opus de nouitate mea.  
Qui culpat vicia virtutes laudat, vt inde  
Stet magis ipse bonus in bonitate sua :  
Vt patet oppositum nigris manifestius album,  
Sic bona cum viciis sunt patefacta magis :  
Ne grauet ergo bonos, tangat si scriptor iniquos,  
Ponderet hoc cordis lanx pacientis onus :  
Vera negant pingi, quia vera relacio scribi  
Debet, non blandi falsa loquela doli.  
Si qua michi sintilla foret sensus, precor illam  
Ad cumulum fructus augeat ille deus :  
Si qua boni scriptura tenet, hoc fons bonitatis  
Stillet detque deus que bona scribat homo :  
Fructificet deus in famulo que scripta iuuabunt,  
Digna ministret homo semina, grana deus.  
Mole rei victus fateor succumbo, set ipsam  
Spes michi promittit claudere fine bono :  
Quod spes promittit, amor amplexatur, utriusque  
Auxiliumque fides consiliumque facit ;  
Suggerit, instigat, suadet, fructumque laboris  
Spondet, et exclamat, 'Incipe, fiet opus.'

Quo minor est sensus meus, adde tuum, deus, et da,  
Oro, pios vultus ad mea vota tuos :  
Vt nichil abrupte sibi presumat stilus iste,  
Da veniam cepto, te, deus, oro, meo.  
Non ego siderea affecto tangere sedes,  
Scribere nec summi mistica quero poli ;  
Set magis, humana que vox communis ad extra  
Plangit in hac terra, scribo moderna mala :  
Vtilis aduerso quia confert tempore sermo,  
Promere tendo mala iam bona verba die.  
Nulla Susurro queat imponere scandala, per que  
Auris in auditu negligat ora libri :  
Non malus interpres aliquam michi concitet iram,  
Quid nisi transgressis dum loquar ipse reis.  
Erigat, oro, pia tenuem manus ergo caretam,

46 conciliumque H 58 malo C

Vt mea sincero currat in axe rota :  
 Sribentem iuuet ipse fauor minuatque laborem,  
 Cum magis in pauido pectore perstat opus :  
 Omnia peruersas poterunt corrumpere mentes,  
 Stant tamen illa suis singula tuta locis :  
 Vt magis ipse queam, reliqui poterintque valere,  
 Scit deus, ista mei vota laboris erunt.  
 Aspice, quique leges ex ipsis concipe verbis,  
 Hoc michi non odium scribere suadet opus.  
 Si liber iste suis mordebitur ex inimicis,  
 Hoc peto ne possint hunc lacerare tamen :  
 Vade, liber, seruos sub eo qui liberat omnes,  
 Nec mala possit iter rumpere lingua tuum ;  
 Si, liber, ora queas transire per inuida liber,  
 Imponent alii scandala nulla tibi.  
 Non erit in dubio mea vox clamans, erit omnis  
 Namque fides huius maxima vocis homo.  
 Si michi tam sepe liquet excusacio facta,  
 Ignoscas, timeo naufragus omne fretum.

O sapiens, sine quo nichil est sapiencia mundi,  
 Cuius in obsequium mea vota ferunt,  
 Te precor instanti da tempore, Criste, misertus,  
 Vt metra que pecii prompta parare queam ;  
 Turgida deuitet, falsum mea penna recuset  
 Scribere, set scribat que modo vera videt.  
 In primis caueat ne fluctuet, immo decenter  
 Quod primo ponit carmine seruet opus :  
 Hic nichil offendat lectorem, sit nisi verum  
 Aut veri simile, quod mea scripta dabunt.  
 In te qui es verus mea sit sentencia vera,  
 Non ibi figmentum cernere possit homo :  
 Conueniatque rei verbum sensumque ministret,  
 Dulce sit et quicquam commoditatis habens :  
 Absit adulari, nec sit michi fabula blesa,  
 Nec michi laus meriti sit sine laude tua.  
 Da loquar vt vicium minuatur et ammodo virtus  
 Crescat, vt in mundo mundior extet homo :  
 Tu gressus dispone meos, tu pectus adauge,  
 Tu sensus aperi, tu plue verba michi ;

69 poterintque C      90 Quodque prius D      Quod prius L

70

80

90

100

Et quia sub trino mundi status ordine fertur,  
 Sub tria serie tu mea scripta foue.  
 Hiis tibi libatis nouus intro nauta profundum,  
 Sacrum pneuma rogans vt mea vela regas.

Hic tractat qualiter status et ordo mundi in tribus consistit  
 gradibus, sunt enim, vt dicit, Clerus, Milicies, et Agricultores, de  
 quorum errore mundi infortunia nobis contingunt. Vnde primo  
 videndum est de errore cleri precipue in ordine prelatorum, qui  
 potentiores alii existunt; et primo dicet de prelatis illis qui  
 Cristi scolam dogmatizant et eius contrarium operantur.

*Incipit liber tercius.*

Cap*. i.* **S**unt Clerus, Miles, Cultor, tres tria gerentes,  
 Set de prelatis scribere tendo prius.  
 Scisma patens hodie monstrat quod sunt duo pape,  
 Vnus scismaticus, alter et ille bonus :  
 Francia scismaticum colit et statuit venerandum,  
 Anglia set rectam seruat vbiue fidem.

*As follows in CHGEDL,*

Cap*. i.* **S**unt Clerus, Miles, Cultor, tres tria gerentes ;  
 Hic docet, hic pugnat, alter et arua colit.  
 Quid sibi sit Clerus primo videamus, et ecce  
 Eius in exemplis iam stupet omnis humus.  
 Scisma patens hodie monstrat quod sunt duo pape,  
 Vnus scismaticus, alter et ille bonus :

*As follows in TH,*

Cap*. i.* **S**unt clerus, miles, cultor, tres tria gerentes ;  
 Hic docet, hic pugnat, alter et arua colit.  
 Quid sibi sit clerus primo videamus, et ecce  
 De reliquis fugiens mundus adheret eis.  
 Primo prelatos constat preferre sequendos,  
 Nam via doctorum tucior illa foret.

*In place of Incipit &c., L has here the four lines 'Ad mundum mitto,' with  
 picture below: see p. 19.*

\* exempla D      humus] mundus DL  
 \*\* regentes Hs      \*\*\* mundit T

Ergo meis scriptis super hoc vbiicumque legendis  
Sint bona dicta bonis, et mala linquo malis.  
Inter prelatos dum Cristi quero sequaces,  
Regula nulla manet, que prius esse solet. 10  
Cristus erat pauper, illi cumulantur in auro;  
Hic pacem dederat, hii modo bella mouent:  
Cristus erat largus, hii sunt velut archa tenaces;  
Hunc labor inuasit, hos fouet aucta quies:  
Cristus erat mitis, hii sunt tamen impetuosi;  
Hic humilis subiit, hii superesse volunt:  
Cristus erat miserans, hii vindictamque sequntur;  
Sustulit hic penas, hos timor inde fugat:

Francia scismaticum colit et statuit venerandum,  
Anglia sed rectam seruat vbiique fidem.

Ergo meis scriptis super hoc vbiicumque legendis  
Sint bona dicta bonis, et mala linquo malis. 10\*

Delicias mundi negat omnis regula Cristi,  
Sed modo prelati preuaricantur ibi.  
Cristus erat pauper, illi cumulantur in auro;  
Hic humilis subiit, hii superesse volunt:  
Cristus erat mitis, hos pompa superbit inanis;  
Hic pacem dederat, hii modo bella ferunt:  
Cristus erat miserans, hii vindictamque sequntur;  
Mulcet eum pietas, hos mouet ira frequens:

Morigeris verbis modo sunt quam plura docentes,  
Facta tamen dictis dissona cerno suis.  
Ipse Ihesus facere bene cepit, postque docere,  
Set modo prelati non manet ille modus. 10\*\*  
Ille fuit pauper, isti cumulantur in auro;  
Hic pacem dederat, hii quoque bella ferunt:  
Ille fuit largus, hii sunt velut archa tenaces;  
Hunc labor inuasit, hos fouet aucta quies:  
Ille fuit mitis, hii sunt magis igne furentes;  
Hic humilis subiit, hii superesse volunt:  
Ille misertus erat, hii vindictamque sequntur;  
Sustulit hic penas, hos timor inde fugat:

18\* eum] ei D enim L

Cristus erat virgo, sunt illi raro pudici;  
Hic bonus est pastor, hii set ouile vorant: 20  
Cristus erat verax, hii blandaque verba requirunt;  
Cristus erat iustus, hii nisi velle vident:  
Cristus erat constans, hii vento mobiliores;  
Obstitit ipse malis, hii magis illa sinunt:  
Hii pleno stomacho laudant ieunia Cristi;  
Cristus aquam peciit, hii bona vina bibunt:  
Et quotquot poterit mens escas premeditari  
Lautas, pro stomacho dant renouare suo.  
Esca placens ventri, sic est et venter ad escas,  
Vt Venus a latere stet bene pasta gule. 30

Resput in monte sibi Cristus singula regna,  
Hiis nisi mundana gloria sola placet.  
Moribus assuetus olim simplex fuit, et nunc  
Presul opes mores deputat esse suos.

Cristus erat verax, hii blandaque verba requirunt; 20\*  
Cristus erat iustus, hii nisi velle vident:  
Cristus erat constans, hii vento mobiliores;  
Obstitit ille malis, hii mala stare sinunt:  
Cristus erat virgo, sunt illi raro pudici;  
Hic bonus est pastor, hii sed ouile vorant: 28\*  
Hii pleno stomacho laudant ieunia Cristi;  
Mollibus induti, nudus et ipse pedes:  
Et que plus poterunt sibi fercula lauta parari,  
Ad festum Bachi dant holocausta quasi.

Ille fuit virgo, vix vnus castus eorum;  
Hic bonus est pastor, hii set ouile vorant: 20\*\*  
Ille fuit verax, hii blandaque verba requirunt;  
Ille fuit iustus, hii nisi velle vident:  
Ille fuit constans, hii vento mobiliores;  
Obstitit ipse malis, hii magis ipsa sinunt:  
Hii pleno stomacho laudant ieunia Cristi;  
Hic limpham peciit, hii bona vina bibunt:  
Et quotquot poterit &c., as 27 ff. 26\*\*

22\* ille CD ipse HGEL 27\* poterint D  
24\*\* ipse] ille HI

Creuerunt set opes et opum furiosa cupidus,  
Et cum possideant plurima, plura petunt.  
Sunt in lege dei nuper magis huius meditati,  
Numen eis vultum prestitum unde suum:  
Nunc magis intravit animos suspectus honorum,  
Fit precium dignus, sunt neque cuncta satis,  
In precio precium nunc est, dat census honores,  
Omneque pauperies subdita crimen habet.  
Cum loquitur diues, omnis tunc audiet auris,  
Pauperis ore tamen nulla loqua valet:  
Si caret censu, sensus nichil est sapienti,  
Census in orbe modo sensibus ora premit.  
Pauper erit stultus, loquitur licet ore Catonis;  
Diues erit sapiens, nil licet ipse sciatur:  
Est in conspectu paupertas vilis eorum  
Cuiuscumque viri, sit licet ipse bonus;  
Sit licet et diues peruerse condicionis,  
Horum iudiciis non erit ipse malus.  
Nil artes, nil pacta fides, nil gracia lingue,  
Nil fons ingenii, nil probitas, sine re:  
Nullus inops sapiens; ubi res, ibi copia sensus;  
Si sapiat pauper, nil nisi pauper erit.  
Quem mundus reprobatur, en nos reprobamus eundem,  
Utque perit pereat perditionis opus;  
Nos set eum laude nostra dignum reputamus,  
Copia quem mundi duxit ad orbis opes:  
Et sic prelati mundus prefertur ab intus,  
Hiis tamen exterius fingitur ipse deus.

Laudamus veteres, nostris tamen utimur annis,  
Nec vetus in nobis regula seruat iter:  
Non tunc iusticiam facinus mortale sugarat,  
Que nunc ad superos rapta reliquit humum.  
Felices anime mundum renuere, set intus  
Cura domos superas scandere tota fuit;  
Non venus aut vinum sublimia pectora fregit,  
Que magis interius concupiere deum.  
Plura videre potes modo set nouitatis ad instans,  
Que procul a Cristi laude superba gerunt:  
Nunc magis illesa seruant sua corpora leta,

Set non sunt ista gaudia nata fide:  
Sufficit hiis sola facte pietatis in umbra,  
Dicant pomposi, quam pius ordo dei.  
Pro fidei meritis prelati tot paciuntur,  
Vnde viros sanctos nos reputamus eos.

Hic loquitur de prelati illis qui carnalia appetentes vitram  
modum delicate vivunt.

Cap<sup>o</sup>. ii. Permanet ecce status Thome, cessit tamen actus,

Normaque Martini deperit alma quasi;  
Sic qui pastor erat, nunc Mercenarius extat,  
Quo fugiente lupus spergit ubique gregem.  
Non caput in gladio iam vincit, nec valet arto  
Vincere cilicio deliciosa caro:

Ollarum carnes preponit fercula, porros,  
Gebas pro manna presul habere petit.  
Prodolor! en tales sinus ecclesie modo nutrit,  
Qui pro diuinis terrea vana petunt.

Ollarum carnes carnalia facta figurant,  
Que velut in cleri carne libido coquunt.  
Est carni cognata venus, iactancia, fastus,  
Ambicio, liuor, crapula, rixa, dolus.  
Ventre saginato veneris suspirat ad vsum  
Carnis amica caro, carnea membra petens:  
Et sic non poterunt virtutum tangere culmen,  
Dum dominatur eis ventris iniquus amor.

Subvertunt Sodomam tumor, ocia, copia panis,  
Impietasque tenax: presul, ad ista caue.

Set modo prelati dicant michi quicquid ad aures,  
Lex tamen ex proprio velle gubernat eos:

Si mundo placeant carnique placencia reddant,  
Ex anima virtus raro placebit eis.

Bachus adest festo patulo diffusus in auro,  
Precellit calices maior honore ciphus;

Glorificans mensam non aurea vasa recondit,  
Quo poterit vano vanus honore frui.

Aula patet cunctis oneratque cibaria mensas,  
Indulgetque nimis potibus atque cibis:

Vestibus et facie longus nitet ordo clientum,  
Ad domini nutus turba parata leues :  
Sic modico ventri vastus vix sufficit orbis,  
Atque ministrorum vocibus aula fremit.  
Tantum diutibus, akiis non festa parantur,  
Nec valet in festo pauper habere locum ;  
Vanaque sic pietas stat victa cupidine ventris ;  
Dum sit honor nobis, nil reputatur onus.

Sicque famem Cristi presul laudare gulosis  
Presumit, simile nec sibi quicquid agit ;  
Quicquid et ad vicium mare nutrit, terra vel aer,  
Querit habetque sibi luxuriosa fames :  
Esuriens anima maceratur, et ipsa voluptas  
Carnis ad excessum crassat in ore gulam.  
Sic epulis largis est pleno ventre beatus  
Luce, set in scortis gaudia noctis habet ;  
Cumque genas bibulas Bachus rubefecerit ambas,  
Erigit ex stimulis cornua ceca Venus :  
Sic preclara viri virtus, sic vita beata  
Deliciis pastus cum meretrice cubat.  
Frigida nulla timet Acherontis, quem calefactum  
Confouet incesti lectus amore sui ;  
Sicque voluptatum varia dulcedine gaudet,  
Et desideriis seruit ubique suis ;  
Sicque ioco, venere, vino sompnoque beatus,  
Expendit vite tempora vana sue.  
Nescit perpetuo quod torrem nutrit igni  
Corpus, quod tantis nutrit alitque modis.

Hic loquitur de prelatis illis qui lucris terrenis inhiant, honore  
prelacie gaudent, et non vt prosint set vt presint, episcopatum  
desiderant.

Cap<sup>m</sup>. iii. Nemo potest verus dominis seruire duobus,  
Presul in officio fert tamen illa duo :  
Eterni regis serum se dicit, et ipse  
Terreno regi seruit et astat ei :  
Clauiger ethereus Petrus extitit, isteque poscit  
Claves thesauri regis habere sibi.

Sic est deuotus cupidus, mitisque superbus,  
Celicus et qui plus sollicitatur humo :  
Sic mundum sic et Cristum retinebit vtrumque,  
Mundus amicior, Cristus amicus, erit.  
Inter eos, maior quis sit, lis sepe mouetur,  
Set quis erit melior, questio nulla sonat :  
Si tamen ad mundi visum facies bonitatis  
Eminet, hoc raro viscera cordis habent.

Hoc deus esse pius statuit quocunque iuuaret,  
Nos tamen ad nocuas prouocat ira manus :  
Vti iusticia volo, set conuertor in iram,  
Principiumque bonum destruit ira sequens :  
Carnem castigo, miseros sustento, set inde  
Nascens furatur gloria vana bonum.  
Istud fermentum mundane laudis et ire  
Absque lucro meritri respuit ira dei :  
In vicium virtus sic vertitur, vt sibi mundus  
Gaudeat et Cristus transeat absque lucris.

Vt presul prosit dudum sic ordo petebat,  
Set modo que presit mitra colenda placet.  
Presulis ex precibus populo peccante solebat  
Ira dei minui nec meminisse mali ;  
Nuncque manus Moyses non erigit in prece noster,  
Nos Amalech ideo vexat in ense suo.  
Moysē leuante manus Iosue victoria cedit,  
Dumque remittit eas, victus ab hoste reddit :  
Sic pro plebe manu, lacrimis, prece, sidera pulsans  
Presul ab instanti munit ab hoste suos ;  
Ac, si dormitet victus torpore sacerdos,  
Subdita plebs viciis de leuitate cadit.  
Quos habeat fructus supplex deuocio iusti,  
In precibus Moysi quisque notare potest.

Qui bonus est pastor gregis ex pietate mouetur,  
Et propriis humeris fert sibi pondus ouis ;  
Qui licet inmunis sit ab omni labore, suorum  
Membrorum culpas imputat ipse sibi.  
Non in se Cristus crimen transisse fatetur,  
Set reus in membris dicitur esse suis :  
Non facit hic populum delinquere, set tamen eius

Suscepit culpas vt remoueret eas.  
 Nunc tamen, vt dicunt, est presul talis in orbe,  
 Qui docet hoc factum, nec tamen illud agit:  
 Nam qui de proprio se ledit criminis, raro  
 Efficitur curis hic aliena salus:  
 Non valet ille deo conferre salubria voto,  
 Ad mundi cultum qui dedit omne suum.

Presul in orbe gregem curare tenet egentem,  
 Ipse videns maculas vngere debet eas:  
 Set si magnatos presul noscat maculatos,  
 Illos non audet vngere, namque timet.  
 190 Si reliqui peccant, quid ob hoc dum soluere possunt?

Torquentur bursa sic reus atque rea:  
 Ipse gregis loculos mulget, trahit in tribulosque  
 Cause quo lana vulsa manebit ei.  
 Quod corpus peccat peccantis bursa relaxat:  
 Hec statuunt iura presulis ecce noua.  
 Sic iteranda modo venus affert lucra registro;  
 Dum patitur bursa, sunt residua mala:  
 200 Dum loculus pregnat satis, impregnare licebit;  
 Dat partus loculi iura subacta tibi.  
 Sic timor et lucrum sunt qui peccata relaxant,  
 Sub quorum manibus omne recumbit opus:  
 Sic lucri causa presul mulcet sua iura,  
 Annuit et nostris fas adhibere malis:  
 Mammona sic nummi nobis dispensat iniqui,  
 Non tamen eternas prestat habere domos.

Nunc furit en Iudex, si luxuracio simplex  
 Fiat, et incestum nescit habere reum:  
 Si coheat laicus resolutus cum resoluta,  
 Clamat in ecclesia clerus et horret ea;  
 Clerus et in coitu si peccet, nil reputatur,  
 Dum Iudex cause parsque sit ipse sue.  
 Sic modo dii gentis subuertunt cunctipotentis  
 Iura, que dant michi ius, sum magis vnde reus:  
 Sicque grauant alios duro sub pondere pressos,  
 Inque suis humeris quam leue fertur onus.  
 Vxor adulterio deprensa remittitur, in quo  
 Exemplum venie Cristus habere docet;

193 possint D

190

200

210

220

Tale tamen crimen non aurea bursa redemit,  
 Set contrita magis mens medicamen habet.  
 Non tamen est lacrima modo que delere valebit  
 Crimen, si bursa nesciat inde forum:  
 Bursa valet culpam, valet expurgareque penam,  
 Bursa valet quantum curia nostra valet.

Hic loquitur de legibus eorum positivis, que quamvis  
 ad cultum anime necessarie non sunt, infinitas  
 tamen constituciones quasi cotidie ad eorum  
 lucrum nobis grauiter imponunt.

*Cap<sup>m</sup>. iii. Num dat pre manibus sceleris veniam michi Cristus?*

Non puto, set facto post miseretur eo:  
 Aut quod peccatum non est, numquid prohibendum  
 Hoc Cristus statuit? talia nulla facit.  
 230 Nunc set, que Moysi neque lex prohibet neque Cristi,  
 Plurima decretis dant prohibenda nouis;  
 Set michi que statuunt hodie peccata, remittunt  
 Cras, sibi si dedero: de quibus ergo peto.  
 Aut est quod proprie res peccatum gerit in se,  
 Aut nisi sit vetita, non foret ipsa mala.  
 Est si peccatum, tunc cur, quam sit prius actum,  
 Prestat idem nummis posse licere meis?  
 Est si res licita, tunc cur sua lex positiva  
 Hanc fore dampnandam striccius artat eam?  
 Hoc de iusticia puto non venit, immo voluntas  
 Taliter vt fiat lucra petendo iubet:  
 Exequitur iuste rem iustum, qui bene causas  
 Non zelo nummi iudicat, immo dei.  
 Legibus ecclesie quicquid sit in orbe ligatum  
 Ex iusta causa, credo ligare decet:  
 Set nichil iniustum deus accipit, vnde nec alter  
 Affirmare potest quod deus ipse negat.  
 Alcius ecce Simon temptat renouare volatum,  
 Ne cadat ipse nouo plura timere potest.

240

250

260

*Heading Hic loquitur quomodo de legibus positivis quasi cotidie noua  
 instituuntur nobis peccata, quibus tamen priusquam fiant prelati propter  
 lucrum dispensant, et ea fieri libere propter aurum permittunt LTH:  
 (Hic quomodo diligentibus positivis... prius fiant &c. L liberi LT)*

229 numquam L vnquam D

\*\*\*

Non laqueare venit iter humanum pius ille  
 Cristus, set planam dirigit ipse viam;  
 Nos tamen ex plano componimus aspera, durum  
 Ex molli, que scelus pro pietate damus.  
 Lex etenim Cristi fuit hec quam gracia mulcet,  
 Nostra set ex penis lex positiva riget.  
 Lex Christi simplex sub paucis condita verbis  
 Clauditur, vnde iugum suave ministrat onus:  
 Infinita tamen legis sententia nostre  
 Aggravat, et finem vix habet ipsa suum.  
 Libera lex Christi satis est, fit legeque nostra  
 Absque lucro gratis gracia nulla viris.  
 Omne fit ex causa; sic est quod lex positiva,  
 Quam fundat cleris, grande figurat opus.  
 In quanto volucres petit auceps carpere plures,  
 Vult tanto laqueos amplificare suos:  
 In quanto leges auget cleris positivas,  
 Fit magis hiis stricta gentis in orbe via:  
 Cum magis in stricto gradimur, cicius pede lapso  
 Sternimur, et clero subpeditamus eo:  
 Cum sibi plus mundum teneat clerisque subactum,  
 Tum magis ecclesia gestat in orbe lucra:  
 Dum magis est cleris diues, magis inde superbus  
 Astat, et ex velle dat sua iura fore.  
 Sol notat ecclesiam, Sinagogam luna figurat,  
 Set modo custodes ista nec illa ferunt:  
 Sunt qui nec legis veteris precepta reseruant,  
 Nec que Christus eis addidit ipse noua.  
 Nuper erat firmus presul sine crimine sanctus,  
 Vtialis in populo, dignior ante deum;  
 Set modo si mundum poterit complectere vanum,  
 Est sibi nil populi laus vel ab ore dei.

Hic loquitur de prelatis qui bona mundi temporalia possidentes spiritualia omittunt.

Cap<sup>m</sup>. v. Hec vox angelica, que nuper in ethere Romanum  
 Terruit, en nostro iam patet orbe nouo.  
 Tempore Siluestri, dum Constantinus eidem  
 Contulit ecclesie terrea dona sue,

258 iugum] suum C 273 Dum S Cum CEHDI

'Virus in ecclesia seritur nunc,' angelus inquit,  
 'Terrea dum mundi fit domus ipsa dei.'  
 Sic fuit vt dixit, postquam possessio crevit  
 In proprium cleri, virus adhesit ei:

Sic redditus iam quisque suos amat, et sibi quid sit  
 Vtile sollicitis computat ipse viis.

Ecclesie iura sibi nil sunt, dummodo castra  
 Curant cum terris amplificare suis.

Esuriunt mundum semper, set in ordine solum  
 Nomen ab ecclesiis sufficit illud eis.

Ordinis angelici fertur quod sunt dominati  
 Atque potestates, sic et in orbe vides;

Nam quia cleris ibi nequit ipsis assimilari,  
 Ferre gerarchiam dat sibi terra suam:

Sic quia prelatus dubitat quid carpere celis,  
 Huius vult mundi certus honore frui.

Dixit Pilato Christus, quod in hoc sibi mundo  
 Non fuerat regnum: iam neque presul eum

Consequitur, set ei contraria sumere cuncti  
 Regna volunt, et in hiis bella mouere viris.

Pro fidei causis nolunt dare bella paganis,  
 Solum nec verba pandere lege sacra;

Set pro terrenis si contradixerit ipsis  
 Saltem Cristicola, dant ibi bella fera.

Sic quia mundana sine Christo iam capit arma  
 Clerus in ecclesia, iure carebit ea.

'Cognoscetis eos,' Christus, 'de fructibus horum,'  
 Dicit, et est illa regula vera satis.

Quomodocumque suam cleris legem positivam  
 Laruat, erit testis cultus ad acta foris.

Egros umbra Petri sanauit, lux neque nostra  
 Nec vox nec votum ferre meretur opem.

Subdita decurrit pedibus super equora siccis  
 Petrus, iam nostram mergit et vnda fidem.

Qui nos prosequitur, Christi de lege iubemur  
 Illum per nostras rectificare preces;

Nos tamen absque deo de iure nouo positiuo  
 Vindictam gladii ferre monemus ibi.

Sic hos destruimus quos edificare tenemur,

300 gerarchiam SHT Ierarchiam CL Ierarchiam ED

Perdimus et Cristi quod tulit ipse lucri.  
 'Sit michi vindicta,' deus inquit, set quia papa  
 Est deus in terris, vindicat ipse prius.

Hic loquitur qualiter Cristus pacem suis discipulis dedit et reliquit: dicit tamen quod modo propter bona terrena guerras saltem contra Cristianos prelati legibus suis positius instituunt et prosequuntur.

Cap<sup>th</sup>. vi. Ante sue mortis tempus dedit atque reliquit  
 Pacem discipulis Cristus habere suis; 339  
 Et quia tunc solum cupiebant nil nisi Cristum,  
 In Cristi pace cuncta tulere pie.  
 Set quia nunc mundum cupiunt tantummodo vanum,  
 Que sibi sunt mundus bella ministrat eis;  
 Et quia belligeram dicit clerus modo vitam,  
 Auctor eos pacis non iuuat ipse deus.  
 Dixerat ad Petrum Cristus, 'Quicumque virorum  
 Percutit in gladio, fine peribit eo':  
 Nec poterit falli fateor sententia Cristi,  
 Quamvis sit cleri mortifer ensis ibi. 340  
 Percucunt ense; si quisque repercutit, inde  
 Dampnat eum libri lex positiva noui.  
 Predicat en Petrus, set pugnat papa modernus,  
 Hic animas, alias querit auarus opes:  
 Hic fuit occisus pro iure dei, tamen alter  
 Occidit, neque ius sic habet ipse deus:  
 Simplicitate fidem non viribus excitat vnum,  
 Alter et in pompis prouocat arma magis.  
 Vult Deus vt non sit temeraria nostra querela,  
 Set mala que patimur vindicet illa deus: 350  
 Hostiles acies inimicaque vinximus ora,  
 Cum vindex nostras nesciat ira vias.  
 Mollibus in rebus non se probat accio Cristi,  
 Tempore set duro se probat alta fides:  
 Militat in Christo pia que pacientia tristi  
 Materiam vere tempore laudis habet.  
 Cristus erat paciens, probra dum tulit omnia, set nos  
 De facto minimo commouet ira modo.

*Heading* a dicitur tamen nunc D dicitur tamen L  
 331 vinximus SDL vincimus CEHG

Omne vigebat opus, dum cleri nobiliores  
 Cuncta sub arbitrio deseruere dei; 360  
 Ipsa vetus pietas plantare fidem dabat, et nunc  
 Extirpat vindex ira superba patrum.

'Non gladius saluat, et qui sperabit in arcu  
 Non saluatur eo,' testificante Dauid:  
 Set nos Dauiticam variamus tradicionem,  
 Dumque sacerdotis sit gladiata manus.  
 Archa vetus Moysi valuit, nobisque valebit  
 Arcus qui populum tensus in orbe ferit.  
 In celo posuit deus arcum, sit quod ibidem  
 Federis in signum pacis ad omne genus;  
 Nos tamen in terris nostrum dum tendimus arcum,  
 Pacis in exilium signa crux habet.  
 Adiuuet ipse deus quos vult, set noster in armis  
 Saluus erit clerus militis acta tenens.

Criste, tua forti Sathanam virtute ligasti,  
 Quem nos de clero soluimus ecce nouo;  
 Ipse solitus enim soluit quoscumque ligatos,  
 Quo sua vota deo soluere nemo venit.  
 Abbatem monachus nescit, nec claustra priorem  
 Ordinis in forma iam retinere queunt;  
 A dextro latere meretricem dumque sacerdos  
 Et gladium leua promptus ad arma tenet.  
 Quis tali melius est consignatus in orbe,  
 Forcior armatus, vt bene bella ferat?  
 Tempore quo cohitum natura mouet, pecus omne  
 Prouocat ex facili bella furore suo:  
 Set si causa sit hec, sumat qua presbiter arma,  
 Longior a pace pugna perhennis erit.

Militis officium non aris thurificare  
 Est, neque presbiteri publica bella sequi. 390  
 Si valet in bello cleris sibi ferre triumphum,  
 Ammodo quid validi militis acta valent?  
 Quem decet orare clerum pugnare videmus,  
 Curam de bellis, non animabus habent.  
 Quid si vulneribus superaddat homo tibi vulnus,

375 *ff. marginal note om. ELTHsLs* 375 *margin* hic om. S  
 379 neque C *margin* in guerris S guerris CHGD 380 *margin*  
*spoliante* S *om. CHGD*

Nota hie de bello  
 Cleri tempore Regis  
 Ricardi in Flandria,  
 quia tunc non solum  
 seculares set etiam  
 regulares presbiteri in  
 guerris ibidem mor-  
 talibus quasi Laici  
 380 spoliante insisterunt.

Num dici medicus debeat ipse tuus?  
 Num decet aut medicum morbo superaddere morbum,  
 Quo fugit interius longius ipsa salus?  
 Hoc experta docet natura, quod omnis in orbe  
 Qua magis infirmor, est medicina mala.  
 Quos reperare decet pacem, si bella frequentent,  
 Nescio quo pacis tutus inire viam.  
 Dicitur ut fortuna rei de fine notatur,  
 Rebus et in dubiis exitus acta probat:  
 Qualis erit finis, seu que fortuna sequetur  
 In cleri bellis scit magis ipse deus.

Hic loquitur qualiter clerus in amore dei et proximi deberet  
 pius et paciens existere et non bellicosus.

Cap<sup>u</sup>. vii. Semper in aduersis est virtus maior, et ecce  
 Lumen in obscuro clarius esse solet.  
 Nobile vincendi genus est pacienza; vincit  
 Qui patitur; si vis vincere, disce pati.  
 Armiger ipse tuus et signifer est tibi Cristus,  
 Si simplex fueris et pacienter agas.  
 Ense manu, iaculis, aliis pugnare iubetur,  
 Nos pugnare fide, spe, pietate decet.  
 In serum domini nichil hostis iuris habebit,  
 Ordine seruato causa fauebit ei:  
 Sic cum doctrinis fueris completus honestis,  
 Tunc hostes poteris inde fugare tuos.  
 Ut sis sublimis meritis accinctus in hostes,  
 Scripture iaculis hostica tela fugas.  
 Pro nobis pugnet Ysaias cum Ieremia,  
 Cum Daniele Iohel, cum Samuele Dauid;  
 Lex euangeli, vox Pauli, sermo prophete,  
 Tres michi sunt testes, nostra stat vnde salus.  
 Cogitat ecce Dauid domino fundare, set audit  
 A domino, templum, 'Non fabricator eris:  
 Es vir sanguineus, ideo dignum michi templum  
 Sanguine fedatus tu fabricare nequis.'  
 Sanguinis effusor, amplectens crimina mundi,  
 Ex bellis templum non valet esse dei:  
 Ecclesie sancte talis non erigit edem,

401 reperare S reparare CED

400

410

420

430

Nec sacre fidei collocat ipse domum.  
 Est nam mors odium, sicut scriptura fatetur;  
 Qui fratres odit est homicida sui:  
 Quomodo nos igitur, plebis de sanguine tincti,  
 Altaris famuli possumus esse dei?  
 Peccantis Cristus vult vitam, nec moriatur,  
 Set conuertatur, viuat ut ipse deo:  
 Et nos pro mundi rebus iugulamus in ense,  
 Quos Cristi sanguis viuere fecit, eos.  
 Quas statuit Cristus leges fuerant pietatis,  
 Nec peciit mundi quid nisi corda sibi;  
 Non cordis carnem, set quam dileccio mentem  
 Prestat, et has leges vendicat esse suas:  
 Nos tamen econtra cum sanguine carnea corda  
 Poscimus, ut nostra sit magis ira fera.  
 Nescio si mundum sub guerra vincere tali  
 Possumus; hoc reputo, displicet illa deo:  
 Namque malignantis deus ecclesiam magis odit,  
 Subque manu tali prospera nulla sinit.

Virtutem dat eis, qui mundum vincere norunt,  
 Ipsa fides Christi fratri et intus amor.  
 Fratri amor pacem confirmat, federa seruat,  
 Stringit amicicias continuatque fidem:  
 Fratri amor nescit aliena sitire, nec umquam  
 Que sua sunt querit, nec scit habere suum:  
 Fratri amor ledi non vult nec ledere querit,  
 Nec queritur, nec dat vnde queratur homo.  
 Augens merorem male vindicat ipse dolorem,  
 Dum pugnat clerus obstat et ipse deus:  
 Nam mundanus amor premit omni tempore quosque,  
 Set diuina manus seruat ab hoste suos.  
 Prima dei timor est sapiencia, prima salutis  
 Est via, lux prima premia prima parans:  
 Federe perpetuo timor amplexatur amorem,  
 Quem sibi consimili federe iungit amor.  
 Vna nequit virtus alia virtute carere,  
 Nam timor est et amor connumeratus idem:  
 Est pater, hinc amor est; est iudex, inde timetur;  
 Et timor hic et amor comoda multa ferunt.

119

440

450

460

470

454 continuatque H 462 seruat H

Non timor est serui set nati, suppliciumque  
Non parit, immo parat premia magna viro.  
Omnis amans Cristum timet illum; qui timet ipse  
Non facit excessum, prouocet vnde deum:  
Hic amor inspirat hominem discernere celum,  
Iudicat et mundi gaudia vana fore.  
Est igitur mirum, modo quod discordia cleri  
Non se pacificat huius amoris ope.  
Litera sacra docet, virtus quod amor placet omnis,  
Et non mundanus ambiciosus honor;  
Namque suos mundus dilectores magis arcet,  
Et minus in fine commoditatis habent.  
In veteri lege nullas habuere Leuite  
Terras, nec mundus sollicitauit eos;  
Immo deo soli plebis pro pace vacare  
Est et non alia sollicitudo sua.  
Non est ergo bonum mundanas sumere guerras,  
Cum deus est mitis et bona pacis amat.

Hic tractat eciam qualiter non decet prelatos contra populum  
Cristianum ex impaciencia aliqualiter bella mouere; set tantum  
ex precibus, deo mediante, absque ire impetu omnem mundi  
deuincant maliciam.

Cap<sup>m</sup>. viii. Inuoluens mentem meditando me stupor angit,

Cristi doctrina quam pietosa fuit;  
Omne quod est pacis instruxit regula Cristi,  
Quicquid et est belli nostra cupido mouet.  
Ponit et opponit racio michi de ratione,  
Qualiter ex clero bellicus vnuis erit.  
Plures sunt cause, quod non ita fiat, et inde  
Cristus in exemplum plurima verba docet:  
Et si pro mundo fiat, sapiencia mundi  
Arguit econtra, si videatur opus:  
Nam dum pacifici fuerant nec honoris auari,  
Omnis tunc requies glorificabat eos.  
Si mundana decet mundanos bellica pugna,  
Longius a clero sit tamen ille furor:  
Que prosunt aliis, aliis nocuisse probantur,  
Quod facit hunc stare, corruet alter eo:

*Heading deuincant EL deuincat SCHD*

480

490

500

Non bene conueniunt laicis mysteria cleri,  
Nec clero laici conuenit arma sequi.

Bella gerant alii, regat et pacientia clerum,  
Quique tubis resonant, nos tacuisse decet.  
Quo leuius cessit cuiquam victoria belli,  
Victoris tanto gloria maior erit.

Non hiis, qui poterunt ex verbo cuncta ligare,  
Expedit vt ponant quomodocumque manus:  
Non opus est armis, vbi vox benedicta triumphat;  
Qui vincit precibus, est sibi guerra nichil:  
Quem deus in tanto promovit munere clerum,  
Solempnes satis est voce mouere preces.  
Qui sibi vult pacem, paciens in pace quiescat;  
Non grauat hunc mundus quem iuuat ipse deus:  
Quo casu queris, tibi respondere tenebor:  
Qui bellator erit, bella parantur ei.

O quam perduros habet impaciencia fines,  
Vnde solet preceps exitus esse grauis.

Impetus, vt memini, grauis est deformiter illis,  
Quos sine iure dei propria iura regunt;  
Stultaque multociens nocuit vexacio stulto,  
Qui proprio capiti fine refundit onus:  
Cumque suas vires quis vult preponere Cristi  
Viribus, et bellum vincere credit eis,  
Tanto debilior erit, et cum sic superare  
Se putat, en virtus subditur ille prius.

Vult implere viam Balaam, set trita flagellis  
Et diuina videns tardat asella viam:  
Quod sibi sic hominis habet impetuosa voluntas,  
Denegat effectus commoditatis opus.

Quam variis vicibus humane res variantur,  
Hoc docet expertus finis vbique rei:  
Quam minima causa magnum discrimen oriri  
Possit, ab effectu res manifesta docet.

Rebus in aduersis opus est moderamine multo,  
Nec decet in grauibus precipitare gradum:  
Micius in duris sapiens Cato mandat agendum,  
Nam nimis accelerans tardius acta facit:  
Rebus in ambiguis quociens fortuna laborat,

510

520

530

540

Plus faciet paciens quam furor ille potest.  
Talia rite docet, aliis dum predicat, ecce  
Clerus, et econtra sic quasi cecus agit.

Turpia doctorem sedant, cui culpa repugnat,  
Nec sibi quid longo tempore laudis erit.  
Nos nisi prosperitas nichil excusare valebit,  
Quam constat nimiam nos tenuisse diu :  
Exitit in letis minor et sollertia nōbis,  
Cernere nec cecos nostra cupido sinit.  
Copia multociens hominem defraudat inanem,  
Atque magis plenum causat habere famem.  
Quam fuerat requies nuper sine crimine clero  
Dulcis, amara modo sollicitudo docet.  
Casibus in letis magis est metuenda voluptas,  
Sepius in vicium que vaga corda ruit:  
Casibus in letis quam sit vicina ruina,  
Et lapsus facilis, nemo videre potest.

Non reputet modicum modico contenta voluntas,  
Res de postfacto que fuit ante docet:  
Nec magnum reputet quisquam, quin tempore quoquis  
Fortuito casu perdere possit idem.  
Discant precipites et quos mora nulla retardat,  
Ne nimis accelerent in sua dampna manus :  
Hoc docet in clero magis experientia facti,  
Quod mundana nichil cura valoris habet.  
Est homo iumentis similis, qui fulget honore  
Vanus, et ignorat quid sit honoris onus.  
Est honor ille deo, puto, quando superbia mentem  
Non grauat, immo dei debita iura tenet.  
'Qui mecum non est, hic contra me reputatur,  
Collector sine me spensor inanis erit':  
Hec sunt verba dei, cuius de pondere legis  
Addit vel minuit lex positiva nichil.

Hic tractat quod, sicut non decet dominos temporales usurpare sibi regimen in spiritualibus, ita non decet cleri prelatos attemptare sibi guerras et huiusmodi temporalia, que mundi superbia et auaricia inducunt.

Cap<sup>m</sup>. ix. Anulus et baculus sunt ius papale sequentes,  
546 sit CE 561 No paragraph S Cap. ix Heading 2 nec decet CEDL

Quos velut in signum spirituale tenet ;  
Cesaris et ceptrum mundi sibi signat honorem,  
Quo quasi mundane res famulantur ei. 580  
Papa colens animas has dampnat viuificatque,  
Corpora set Cesar subdita iure regit.  
Non licet vt Cesar animas torquere valebit,  
Nec de posse suo res tenet illa sibi ;  
Nec decet ex guerris hominum quod papa fatiget  
Corpora, namque sibi non tenet illud opus :  
Quisque suum faciat factum, pro quo venit ille,  
Saltem qui pondus tam capitale gerit.  
Qui tenet hic animas sub cura, celsior extat,  
Et gradus anterior glorificabit eum. 590  
Quicquid agit papa, licet, vt status ille fatetur,  
Errat persona, non status ille tamen :  
Nam sacer ille status mundum transcendit, et eius  
Celorum claves dextera palma gerit.  
Hinc aperitque polum, tetram quoque claudit abissum,  
Que super aut subtus sunt, sua iura colunt ;  
Quod ligat est firmum, quod soluit eritque solutum,  
Posse suum nostris sic animabus habet.

Cesaris hec que sunt, lex vt reddantur eidem  
Vult, et vt illa dei sint tribuenda deo. 600  
Cesaris est vt ei caput inclines, animaque  
Pape, sic proprium redditis utriusque suum :  
Cesar habere statum pape nequit, aut sibi papa  
Cesaris imperium non propriare potest.  
Cesaris hoc non est vt spiritualia temptet,  
Nec decet vt papa Cesaris arma gerat :  
Papa suum teneat Cesarque suum, quod utriusque  
Iura coequata stent ratione rata.  
Si sibi presumat Cesar papalia iura,  
Hoc non papa sinit, immo resistit ei :  
Ergo quid est bellum pape quod Cesaris extat ?  
Nam deus ecclesie pacis amator erat.  
Set quia papa suis mundum scrutatur in armis,  
Inueniet similem quem petit inde modum :  
Opponis mundo, mundus respondet, et illam  
Quam sibi preponis rem dabit ipse tibi.

579 sceptrum C 595 tetram CEH terram SGDL

Quos prius ecclesia fundauerat ipsa fideles,  
Nunc magis impaciens dura per arma necat.  
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,  
Rectorem dubie nauita puppis amat :  
Cristus amat pacem, pax vendicat et sibi clerum,  
Clerus et ergo suos debet habere pios.  
Turpe referre pedem nec passu stare tenaci,  
Turpe laborantem deseruisse ratem ;  
Turpius est Cristi pro mundo iura fugare,  
Qui statuunt bellum pacis adesse loco.  
Omnia regna quasi, Cristi que nomen invndat,  
Bella gerunt reprobis horridiora Gethis.  
Sufficeret tamen hoc, quod bella forent laicorum,  
Si non quod proprio cleris in ense ferat :  
Quicquid agant laici, minus excusare valebo  
Clerum, quem Cristi regula pacis habet.  
Set bona que mundi fugitiua sunt velut vmbra,  
Postposito Cristo, bella nephanda mouent.

Quicquid in humanis sit spiritualiter actum,  
Clerus in officio clamat habere suo :  
Est et mundanis que maior gloria rebus,  
Vendicat hoc gladii proprietate sui.  
Sic modo fert cleris geminas quibus euolat alas,  
Illa tamen mundi plus placet ala sibi.  
Sic piper vrtice mordacis semina miscent,  
Dum cleris mundi sponsus adheret ei ;  
Dumque tumens mundo cleris se miscet auaro,  
Quo doleat populus, fit magis egra salus.  
Non satis est illis populum vexare quietum,  
Set magnum bello sollicitare deum.

Est 'Non occides' scriptum, set in orbe manentem  
Preualet hoc certum nullus habere locum.  
Est vbi dic ergo ius nostrum, nonne caducis  
Talibus in rebus quas retinere nequis ?

Linea natalis matris de iure satetur  
Heredem Cristum, qua fuit ortus, humi :  
Si quid in hoc mundo nobis proprium magis esset,  
Pars foret hoc Cristi que titulatur ei :

617 No paragr. CE  
sunt fugitiua velut vmbra L633 sunt vmbra velud (velut) fugitiua CEG  
641 piper vrtice om. D (blank)

620

630

640

650

Hanc tenet intrusor modo set paganus, ab illa  
Thesauris nostris nulla tributa feret.  
Nos neque personas neque res repetendo mouemus  
Bella viris istis, lex ibi nostra silet :  
Non ibi bulla monet, ibi nec sentencia lata  
Aggrauat, aut gladius prelia noster agit :  
Que sua sunt Cristus ibi, si vult, vendicet ipse,  
Proque sua bellum proprietate ferat.  
Nos ita longinquis non frangimus ocia guerris,  
It neque pro Cristi dote legatus ibi ;  
Set magis in fratres, signat quos vnda renatos,  
Pro mundi rebus publica bella damus.

Mandatum Cristi cleris quod predictet extat,  
Et sibi sic lucrum spirituale gerat ;  
Non lego quod mundi pro lucro cleris ad arma  
Procedat, set ibi pareat amore dei.

Sermo tamen cleri paganos nescit, vt illos  
Conuertat, nec eo se iuuat ipse lucro :  
Castra sibi que domos pocius lucratur et vrbes,  
Pro quibus, vt vincat, forcias arma mouet.  
Est sibi quod proprium, sic spirituale recusat,  
Torpet et improprie quo foret ipse vigil ;  
Que tamen impropria Cristus sibi dixerat, illa  
Mundi terrena propriat ipse sua :  
Sic magis impropria propriat, propriisque repugnans  
Disproprietat cleris, que dedit acta deus.

670

680

690

Venit enim princeps huius mundi, famulatum  
Optinet et nostrum, fert quia grande lucrum.  
Cristi pauperiem mens nostra perhorret auara,  
Ocia ne nostri corporis ipsa premat ;  
Nec sua cor mulcet humilis pacienza nostrum,  
Hoc etenim nostra pompa superba negat :  
Nullus nos cinget nisi libera nostra voluntas,  
Cuius habet tenera ducere frena caro.

Conditor est iuris qui spernere iura videtur,  
Nec tenet ipse vias, quas docet esse suas ;  
Crimina condempnat qui crimine primus habetur,  
Corripiens alias deteriora facit.

Ipse suas maculas, qui noscere vult aliorum,  
685 Ne C

Noscat, et emendet que sua culpa parat :  
 Qui claves Petri gestaret ut ostia celi  
 Panderet, illa viris claudit in orbe prius.  
 Cum magis hoc penso, magis obstupfactus in illo  
 Sum, nam lux quicquid predicit umbra fugat :  
 Vnius gustus infecit milia multa,  
 Commaculantur eo cuncta sapore malo.  
 Sublimo residens dux prima superbia curru,  
 Multa minans vultu, lumine, voce, manu :  
 Subsequitur liuor, turba comitatus acerba,  
 Pallida res, atra pestis, amara lues ;  
 Que solet et pietas peccata remittere vindex,  
 Extat auaricia lucra caduca petens.

Quam grauis est pestis, quam triste superbia nomen,  
 Radix peccati, fons et origo mali !  
 Fons fuit hec sceleris, tocius causa doloris,  
 Virtutum morbus, saltus ad yma cadens,  
 Hospes auaricie, paupertas prodiga, fraudis  
 Principium, fallax sensus, iniquus amor,  
 Irrequies mentis, lis proxima, mortis amica,  
 Perfida mens, racio deuia, vanus honor.  
 Hec quasi de proprio sunt appropriata superbo,  
 Heres et baratri primus habetur ibi :  
 Hoc capitale malum quo regnat egens caput omne  
 Conficit, et caude par facit esse sue.  
 Hec caput est rerum viciis seruire coactum,  
 Liber homo didicit hoc graue ferre iugum ;  
 Non illud domini, quod dicitur esse suave,  
 Immo quod imposuit invidus hostis ei ;  
 Non quo libertas perquiritur illa salutis,  
 Set quod seruili condicione premit.  
 Fabrica prima, decus primum, primatis honore  
 Preditus, est prime perditionis opus.  
 Prodolor, heu ! tante dic que sit causa ruine :  
 Elate mentis motus origo fuit.  
 O mens elata, presumpcio dira, superni  
 Regis habere locum, iudicis esse parem,  
 Equarique suo factori, non imitari,  
 Equiperare deum nec bonitate sequi !  
 Expedit exemplis ut talibus euacuetur

700

710

720

730

Fastus, et ex humili corde paretur opus.  
 Incertum dimitte, tene certum, quia Cristi  
 Actus erat pacis, bella nec vila mouet.  
 Si caput ecclesie delinquit ab ordine sacro,  
 Ecce nephelas capitis membra nephanda parat.

Ordo sacerdotum pro Cristi nomine guerras  
 Non dedit, immo pati cum pietate solet.  
 Fustibus hii torti quemquam torquere recusant,  
 Cunctaque sic vincunt, dum pacienter agunt ;  
 Inque bono vicere malum, quia Christus eorum  
 Dux fuit, et iustis iusta petita dabat.  
 Quesiuit precibus bona spiritualia Petrus,  
 Vicit et egregie sic sua bella prece :  
 Hec fuit excelsi dextre victoria, cuius  
 Viribus efficitur quicquid adesse cupit.  
 Omnia namque pie moderatur, et omnia iusto  
 Pondere perpendit, dum sua vota dedit :  
 Sic qui prospiceret Christi meditans pietatem,  
 Non tumidus fieret nec leuitate fluens.

Non fuit argentum sibi dixit Petrus et aurum,  
 Set preciosa magis dat sibi dona deus :  
 Dixerat hic claudio quod surgat, surgit et ille,  
 Ambulet et vadat, vadit et ipse statim.  
 Nunc quid erit nobis ? nam si vir postulet omnis  
 Ut sic curemus, absque salute sumus.  
 Non habet elatus animus, quo digna precetur,  
 Molle cor ; ad timidas dat deus immo preces.  
 Qui fuerat dulcis salibus viciatur amaris,  
 Floriger et veris floribus extat inops.  
 Auro magnifici sumus et virtutis egeni,  
 Nam que sunt auri duximus illa sequi :  
 Aurum si quis habet, satis ipsum constat habere,  
 Est et in hoc mundo sic benedictus homo.  
 Influit in cleri totus quasi mundus hiatum,  
 Inque suas fauces aurea queque vorat :  
 Ut tamen inde iuuet inopes, non paruula gutta  
 Refluit, immo tenax propriat omne sibi.  
 Se dedit in precium Christus pro munere plebi,  
 Nos tamen ingrati nostra negamus ei.

740

750

760

770

O caput ecclesie, reminiscere tempora Christi,  
Si dedit exemplis talia sicut agis.  
Ipse redemit oves, a morteque viuificauit,  
Quas pietatis inops tu cruciendo necas.  
Precipit ipse, vices per septem septuagenas  
Dimitiat Petrus, parcat et ipse reis;  
Tu tamen ad primam gladio cum vindice culpani  
Percutis, et nullo parcis amore viro. 750  
Ecce Rachel plorat nec habet solamina tristis,  
Dum genus ex proprio ventre reliquit eam.  
O genus electum, gens sancta, quid est quod auara  
Scandala iudicii ponis in orbe tuis?  
Prodolor! ecclesie bona, que debentur egenis,  
Dissipat in bellis qui dominatur eis.  
Prodolor! a clero, pietatis iure remoto,  
Cauda fit ecclesie qui solet esse caput;  
Fitque salus morbus, fit vitaque mors, releuamen  
Lapsus, lex error, hostis et ipse pater. 790

Hic querit quod, ex quo prelati scribunt et docent ea que  
sunt pacis, quomodo in contrarium ea que sunt belli pro-  
curant et operantur. Ad quam tamen questionem ipse sub-  
sequenter respondet.

Cap<sup>m</sup>. x. In libris cleri Rome sic scribere vidi:  
'Yt melius viuas, hec mea scripta legas.  
Vis seruire deo, vis noscere qualia querit?  
Hec lege, tuncque scies qualiter illud erit.  
Dilige mente deum, pete, crede, stude reuereri:  
Teste libro cleri, sic iubet ipse geri.  
'Est quia vita breuis, fuge luxus corporis omnes,  
Preponens anime celica dona tue:  
Iusticiam serua, tua sit lex omnibus equa;  
Hoc facias alii, quod cupis ipse tibi: 800  
Ex toto corde dominum tu dilige, tota  
Ex animaque simul sit tibi fratris amor:  
Gignit nempe dei dileccio fratris amorem,  
Et diuinus amor fratris amore viget.  
Munera fer miseris, que Christo ferre teneris,  
Arma quibus noceas, bella nec vila geras:

*Heading a incontrarium S*

Sis pius et paciens, tua sitque modestia cunctis  
Exemplum pacis, duret vt illa magis.  
Hec ita cum legi, confessim me stupor vrget,  
Qualiter in clero bella videre queo:  
Querere sic volui de clero, quis foret ille  
Qui michi responsum de ratione daret.  
Questio mota fuit, qua sumpta clericus vnu  
Astat et oppositis prompserat ista meis;  
Supponens primis quod ei sit culmen honoris  
Pontificis summi, talia dixit ibi.

'Diuidit imperium terrena potencia mecum,  
Iureque celicolo subdita regna colo;  
Set quia terra prope nos est celumque remotum,  
Que magis est nobis terra propinqua placet.

Aula michi grandis, sublimis et arte decora,  
Nobilis est thalamus, mollis et ipse thoros:  
Vt placeant ori que postulo, de meliori  
Fercula lauta cibo sunt michi, vina bibo:  
Ex auium genere, de piscibus omne salubre,  
Vt magis est placitum, dant michi ferre cibum:  
Singula que genera vini dat potibus vua  
Optineo, quod in hiis sit michi nulla sitis.  
Sunt michi carmina consona, timpana, letaque musa,  
Histrio dat variis cantica plena iocis: 830

Que mare, terra parit, meliora vel aera format,  
Sunt michi prompta foro, sicut habere volo.  
Est michi vinea, sunt viridaria fonte reclusa,  
Que peto de mundo cuncta tenere queo:  
Est michi secundus dotalibus ortus in agris,  
Pompaque castrorum, summus et vrbis honor:  
Silua feras, volucres aer suscepit habendas,  
Et mare quam vario pisce repleuit aquas.  
Set loca non tantum nobis, nec et illa creatu  
Sufficiunt, auri sint nisi dona lucri. 840

'Ecce fores large, quas seruat ianitor arte,  
Sic vt in has pauper nullus habebit iter:  
Curia quos reprobat isto sermone repellit,  
"State foras, vacui, flebitis ante fores."  
Que non dona manum presentat ianitor illam

840 lucri] dei EHT

\*\*\*

K

Excludat, nostras nec sciat ipsa vias:  
 Qui tamen occulto cupit vt sit noster amicus,  
 Aurum det, sine quo victima nulla placet:  
 Que manus est plena, magis invitabitur illa,  
 Stet foris et vacua, nec veneretur ita.  
 Omnia soluo, ligo, summo diademate regno,  
 Orbis ego dominus: quid michi velle magis?  
 Me dominum clamat, me viuens omnis adorat,  
 Omne solum calco sic deus alter ego.  
 Est thronus excelsus, quo possumus omnibus vna  
 Et benedicta manu, sic maledicta dare:  
 Sicque potestate nostra reuerenter vbique  
 Magnus in ecclesia, maior in orbe sumus.  
 ' Dicimus, et facta iam sunt, mandamus, et ecce  
 Accrescunt subiti dona creata lucri.  
 Que Cristus renuit suscepimus omnia regna  
 Mundi, que dominans gloria vana dedit:  
 Sic exaltati de terra traximus ad nos  
 Omnia deliciis amplificata magis.  
 Sic status assumptus quales sumus approbat, vt nos  
 Ocia plectentes qui cruciamus humum.  
 Suaue iugum, leue Cristus onus nobis dedit, et nos  
 Pondera que mundi sunt grauiora damus:  
 Iura damus populis, set nos non lege tenemur,  
 Que michi lex placuit juris habebit onus.  
 Iudiciis hominum non stat quod pecco per orbem,  
 Sic michi cuncta licent, que magis acta placent;  
 Et si mundus in hiis fiat michi forte rebellis,  
 Est mea de guerris forcior ecce manus.  
 Hiis quoque de causis respondeo papa, quod omnes  
 Per mea terrigenos bella retrudo viros.  
 ' Inter discipulos fuerat discordia facta,  
 Norma set infantis pacificauit opus:  
 Nos tamen ad veram nullo moderamine pacem  
 Flectere quis poterit, hoc neque pompa sinit.  
 In cruce confixus patitur sua funera Cristus,  
 Et fuit illa viris passio vera salus:  
 Omnibus exemplum fuit hec pacientia Christi,  
 Alterutrum socii simus vt inde pii.  
 Nos tamen in signum vindicte ponimus illam,

850

860

870

880

Plebis et in mortem ferre iubemus eam:  
 Sicque pium signum diuertimus a pietate,  
 Que fuit et vita, nunc noua pestis erit.  
 Sic modo sunt mortis nuper vexilla salutis,  
 Que tulit et pacem crux modo bella gerit:  
 Sicque crucem domini baiulamus, mente set vila  
 Non sequimur dominum, qua tulit ipse crucem.  
 Quod nequit hoc virtus, supplebunt ammodo vires,  
 Non mos set mortis pugna parabit iter:  
 Nostra sinistra teret quicquid fundauerat olim  
 Dextra, que sic humilis non parit oua fides.  
 Quam collegerunt alii dispergere messem  
 Tendimus, et feritas nostra vorabit humum:  
 Vinea sic domini nostros inculta labores  
 Non habet, estque magis bellica facta manus:  
 Sic magis, extrahere quem de pietate tenemur,  
 Sternimus in puteum de feritate bouem.  
 ' Quod tulerat Petrus lucrum Iudea fatetur,  
 Quas tulit et Paulus gens manifestat opes:  
 Nos neque cum vacuis manibus veniemus in auro,  
 Quod tamen est lucrum spirituale nichil.  
 Postera quicquid agat etas, iam nulla veremur  
 Crimina, dum mundus noster amicus erit:  
 Vt sit enim nomen nostrum nomen super omne,  
 Est vbi rarus honor, pugna iuuabit opus.  
 Ense peribit homo iuxta leges Machometi,  
 Eius qui nomen spernit habere sacrum:  
 Nos ita decretum iam ponimus ense volutum,  
 Nomen vt hinc nostrum presit in omne solum.  
 Cesaris imperio qui contradicit, amicus  
 Eius in hoc mundo non reputatur homo:  
 Sic homo, qui nomen nostrum non preficit altum,  
 Filius est mortis, ensis in ore reus.  
 ' Mittere sic gladium non pacem venimus orbi,  
 Et noua iam facimus omnia, dampna tamen.  
 Sic caput in membra iam seuit, et aggrauat illos,  
 Quos minus officio lederet ipse suo:  
 Sic pater in natos nunc fit magis ipse Saturnus,  
 Quos sua deberet lexque fouere, necat:  
 Sic et pastor oues, quas pascere iure tenetur

890

900

910

920

Iam vorat, et proprium predat ouile suum :  
 Sic ferus vt iudex agitamus secla per ignem,  
 Purgatique magis eris habemus opes.  
 Vendat enim tunicam sibi clerus et hinc emat ensem,  
 Cesset et a sacris quilibet ordo suis : 930  
 Nomen et in terris sic nostrum magnificemus,  
 Vt timeant alii bella futura sibi.  
 Iam pastoralis baculus vertetur in hastam,  
 Mitra fit in galeam, pax ruit inque necem :  
 Qui prodesse velit prodit, nam nos super omnes  
 Preferri volumus, gestet et alter onus.  
 'Sic nos, qui summi portamus nomina cleri,  
 Corde magis ceci duximus arma sequi :  
 Quicquid agant anime, nos subdere corpora mundi  
 Tendimus, et nobis lex positiva fauet ; 940  
 Nam licet ex glosa gladium quod sumat vtrumque,  
 Quo ferat extenta bellica, nostra manus.  
 Ergo magis paucent omnes dedicere nobis,  
 In quorum bellis os ferit atque manus.  
 Attamen ad pacem nostram suscepimus omnes  
 Barbaricas gentes, ne cruciemur eis :  
 Contra Cristicolas pretendimus arma mouere,  
 Qui modo sunt ausi vix sua iura loqui.  
 Auriculam Petrus abscidit, vulnus et illud  
 Sanum restituit Cristus vt ante fuit ; 950  
 Nostra set ira caput aufert, quo vulnere nullum  
 Nouimus in sanum post reuenire statum.  
 Est igitur Petri maior sententia nostra,  
 Et gladius noster forcior ense suo.  
 Sic differt Clemens nunc a clemente vocatus,  
 Errat et Acephalo nomine nomen habens.

Hic loquitur de prelatis illis, qui nomen sanctum sibi presumunt, appropriant tamen sibi terrena, nec aliis inde participando ex caritate subueniunt.

Cap<sup>m</sup>. xi. Angelus, vt legitur, sancto quandoque Iohanni  
 Dixit, cumque cadens alter adorat eum,  
 'Tu michi, serue dei, videas ne feceris illud,

Immo deum toto cordis honore cole.'  
 'Quem tamen in terris celestis ciuis honorem  
 Respuit, hunc repetit curia nostra sibi ;  
 Flectitur inde genu, que pedes post oscula nostros  
 Mulcent, vt Cristi pes foret alter ibi.'

Precipit hoc Cristus, eius quod discipulorum  
 Nemo patris nomen querat habere sibi :  
 In celo sancti proclamat 'Sanctus' vt illi  
 Qui sedet in solio dignus honore suo.  
 'Nos tamen in gente nomen portamus vtrumque,  
 "O pater, o sancte," quisque salutat, "aue!" 970  
 Extitit a Cristo data nobis magna potestas,  
 Vnde quam mundus amplificare studet.  
 Hoc sit vt esse potest: celum quicunque ligabit,  
 Scimus nos mundum posse ligare satis :  
 Nam modo lex posita bellorum ponit auara  
 Quod valet ecclesia vi reuocare sua.  
 Set quicquid clerus rapit et tenet ex alienis,  
 Hoc valet a clero tollere nullus homo.'  
 Quicquid habet clerus proprios hoc vertit in usus,  
 De laicis partem vult set habere suam.  
 Hic bona cuncta sua fore dicit sanctificata,  
 Nec licet vt laicus mittat ad illa manus ;  
 Partem sed laici petit ipse per omnia lucri,  
 Nec vult cum dampno participare suo.  
 Si communis amor fuerit, commune sit omne,  
 Quod liquet alterutrum posse iuuare virum :  
 Set quia iam clerus non est communis amoris,  
 Quicquid habet soli vult retinere sibi.

Ex veteri lege raptum sit quicquid ab hoste,  
 Non valet illud homo sanctificare deo ;  
 Nostra set ecclesia cleris vicinia rapta  
 Predat, et hec propria dicit habere sacra.  
 Sic multat laicum cleris, multare set ipsum  
 Nemo potest, et ita stant modo iura noua :  
 Sic non pastor oves pascit, set pastus ab ipsis  
 Lac vorat et vellus, alter vt ipse lupus :  
 Sic libras siciens libros non appetit, immo  
 Marcam pro Marco construit ipse libro :

Summas non summa memoratur, et optima vina  
Plusquam diuina computat esse sacra:  
Virtutis morem non, set mulieris amorem  
Querit, et hoc solo temptat arare solo.  
Sic honor ex onere non est, nam fulget honore  
Corpo, set corpus non digitabit onus.

Hic loquitur de Simonia prelatorum, et qualiter hii delicati,  
dicentes se esse ecclesiam, aliis grauiora imponunt, et viterius  
de censura horribili laicos pro modico impetuose infestant.

Cap<sup>m</sup>. xii. Ecce, deo teste, vir qui non intrat ouile  
Per portam, latro furque notatur eo.  
Sic et in ecclesiam promotus per Simoniam  
Clerus, furtiuo se gerit inde modo;  
Nec bona de furto conferre placencia Cristo  
Quis valet, immo deus pellit ab inde manus.  
Ergo valet fiscus que non vult carpere Cristus;  
Sunt quia mundana, mundus habebit ea:  
Namque suo iure dum clerus abutitur, inde  
Priuari dignum iura fatentur eum.  
Se vocat ecclesiam clerus, quasi diceret, illam  
Non tanget laicus, est honor immo suus:  
Sic fastus cleri communi iustificari  
Non vult iusticia, set latitante via.  
Se leuat et reliquos subdit predatque subactos  
Legis composite de nouitate sue:  
Sic modo sub specie diuina cerno latere  
Has pompas mundi, stant neque iura dei.  
Sancta quid ecclesia est hominum nisi turma fidelis?  
Sic patet vt laicus, quem colit ipsa fides,  
Est pars ecclesie, melior nec clericus ipse,  
Ni melius viuat. Quis michi tale negat?  
Vna fides, vnum baptisma, deus manet vnum,  
Sic nos ecclesia iungit et vna tenet;  
Et veluti multa tegit vna cortice grana,  
Sic populos plures colligit vna fides.  
Ecclesie sancte cur tunc sibi nomen habere  
Vult tantum clerus, alter vt ipse deus?  
Appendit legis pondus collis alienis,  
Set non vult humeris quid graue ferre suis

1000

1010

1020

1030

Omnia dat licita sibimet, michi set prohibenda;  
Ille quiescit, ego sudo labore meo.  
Sic iter ex factis viciis prebet faciendis,  
Verba set econtra dicet in aure tua:  
Hinc plebs attonita dubitat, si credere dictis,  
An cleri factis debeat ipsa prius.  
Set prohibens michi rem, dum sit culpandus eadem,  
Vix credo verba, sunt quia facta rea:  
Tollere sicque nouos de clero cerno superbos,  
Per veteres humiles quod dedit ipsa fides.

1040

Precipiunt isti maxillam percipienti  
Subdere, sic vt eo stet pacienter homo:  
Intuleris set eis si quid graue, mox tibi mortis  
Censuris anime dant maledicta tue.  
Qui necat hic animam sub pena mortis, eadem,  
Si posset, corpus perderet ipse prius.  
Sic magis ipse lupo fert pastor dampna maligno  
In iugulando suas, quas medicaret, oves.  
Hii gestant celi claves, intrant nec et ipsi,  
Nos nec inire sinunt, quos sine lege regunt:  
Nec populi mentes doctrine vomere sulcant,  
Nec faciunt operis id quod oportet opus.  
Ad dextram Cristi vellent residere beati,  
Set nollent calicem sumere, Criste, tuam.  
Hii pescatores laxant sua recia lucris,  
Vt capiant mundum, non animabus opem.  
Sic male viuentes laicis exempla ministrant,  
Qui velut instructi more sequuntur eos:  
Sic ouis ex maculis pastoris fit maculosa,  
Et cadit in foueam cecus vterque simul.

1050

1060

1070

Hic loquitur qualiter prelatus non solum doctrina set eciam  
bonis actibus populo sibi commisso lucere deberet.  
Cap<sup>m</sup>. xiii. In tenebris pergens nescit quo vadat, vt ille  
Qui non discernit que sit habenda via;  
Cumque caret populus doctrina, nec videt ipsum  
Qui suus est presul iura tenere dei,  
Cum neque scripta docet, neque facta facit pietatis,  
Immo sui vicii dedita culpa patet,  
Cum de nocte sua pereat sine luce lucerna,

Et virtutis habent presulis acta nichil,  
 Tunc errare facit plebem, sine luceque cecus  
 Cecum consequitur, vnde ruina venit.  
 Ergo suas luces accendant clarius illi  
 Qui sunt ductores, vt videamus iter.  
 Igne lucerna micans tria dat, splendet, calet, vrit ;  
 Hec tria presul habet sub racione trium :  
 Vita splendorem demonstrat, amore calorem,  
 Et quia peccantes arguit, vrit eos. 1080  
 Cum populum sibi corde ligat, precibusque beatis  
 Seruat et auget oues, tunc placet ipse deo.  
 Vt sit sollicitus quicumque pauore tenetur,  
 Ne lupus ille Sathan intret ouile suum :  
 Pascat oues presul exemplaque sancta ministret,  
 Vt sapiant dulces mellis in ore fauos.  
 Sepius assuevit Tubicen prodesse, suosque  
 Dux bene pugnantes concitat ore viros :  
 Te magis, o presul, qui dux es spiritualis,  
 Promere lege dei consona verba decet. 1090  
 Solue tuam vocem sicut tuba ductilis altam,  
 Osque tuum verbis instruat acta gregis :  
 Clama, ne cesses, populo dic crimen eorum,  
 Preuius exemplis tu tamen esto bonus.  
 Dum sapor assidua remanens sit dulcis in vnda,  
 Gracius ex ipso fonte bibuntur aque :  
 Cum magis in Christo sit cleri vita beata,  
 Quem docet ille magis, sermo beatus erit.  
 Sermo dei numquam vacuus redit, immo lucrata  
 Conferet emissus dupla talenta lucri : 1100  
 Sermo dei purus, mens quem sincera ministrat,  
 Clastra poli penetrans dona reportat humo.  
 Curatos anima tales que possidet egra,  
 Inueniet, si vult, sana salutis iter.  
 Qui nil terrenum sapiunt, set celica querunt,  
 Et solum siciunt esuriuntque deum ;  
 Quos non librarum pascit nitor, immo librorum,  
 Non facies auri, set cibat ara dei ;  
 Hii, cum sint propria digni mercede laboris,  
 Permansura serunt que sine fine metunt. 1110  
 Sic qui recta docet, facit et super hoc quod oportet,

Expedit vt facias quod tibi dictat opus :  
 Tunc bene fortis equus reserato carcere currit,  
 Cum quos pretereat quosque sequetur habet.  
 Legis enim veteris scripture sunt memorande,  
 Quo bonus exemplum pastor habere queat.  
 Commemoranda satis fuit hec sapientia, quando  
 Ante gregem virgas ordinat ille Iacob :  
 Partim nudat eas ablato cortice, partim  
 Corticis induitas veste relinquit eas. 1120  
 In virgis splendet sublato cortice candor,  
 Cum de scripturis splendida verba trahit ;  
 Cortex saluatur, cum litera sola tenetur,  
 Et pastor sensu simplice pascit oues.  
 Set quid pastores dicent exempla negantes ?  
 Vt sibi proficiant ista nec illa tenent.  
 Cuius nec vita bona seu doctrina iuuabit,  
 Instruat vt populum, nil reputamus eum.  
 Indiscreta tamen sunt qui documenta parantes  
 Scismatis in plebem magna pericla mouent. 1130  
 Indocti causa doctoris sepe scolares  
 Virtutis capiunt commoda nulla scole :  
 Sic importuni prelati, quamuis habundent  
 Dogmata, si desint acta, vigore carent.  
 Quidam corripiunt magis ignibus impetuosi,  
 Et velut vrsus oues de feritate premunt ;  
 Talis enim doctor, cum durius increpat vllum,  
 Ledit eum cuius debuit esse salus ;  
 Vulnerat ipse reos, set vulnera nulla medetur ;  
 Prouocat in peius quod fuit ante malum : 1140  
 Sic nos prelati nequit os curare superbi,  
 Cum vicious homo moribus auctor erit.  
 Est et prelatus, qui corripiens quasi blando  
 De sermone fauet, nec reus inde cauet :  
 Corripiebat Hely pueros dulcedine patris,  
 Non vice pastoris, non grauitate soni ;  
 Pro quorum culpa dampnatur Hely, quia valde  
 Impius in pueris per pia verba fuit.  
 Sic pastor qui subiectos non corripit, iram  
 Summi patris emens carcere dignus erit. 1150

1124 Et CEGDL Est SHTH. 1149 subiectos S

Ista solent scribi, 'Medium tenuere beati,  
Non nimis alta petas, nec nimis yma geras.'  
Non nimis ex duro presul nos iure fatiget,  
Nec nimis ex molli simplicitate sinat.  
Si non leua manus equitis moderacion extet,  
Oppositis frenis sepe repugnat equus.  
Eripit interdum, modo dat medicina salutem,  
Nil prodest quod non ledere possit idem.  
Set qui frena tenet, prouiso tempore, presul,  
Quo magis est sanum ducet honestus iter :  
Sepius ex dulci peccans sermone reviuit,  
Qui magis impaciens verba per acra foret.  
Expedit interdum tamen absque fauore rebelles  
Equa quod invitos presulis ira premat :  
Sepe ferus morbus herbis mitescit amaris,  
Namque feret molles aspera spina rosas :  
Dura vides quod humus stimulantibus obruta sulcis  
Sepius ad placitum molle cacumen habet.

Vnctus erit presul oleo, quod plura figurat,  
Precipueque sibi conuenit illa sequi :  
Quatuor ista facit, penetrat, lucet, cibat, vngit,  
Que sibi mitratus debet habere bonus.  
Nil penetrare potest nisi cum virtute vigoris,  
Ista tamen virtus in penetrando iuuat ;  
Nam cum mollices fuerit coniuncta vigori,  
Mitius et austerus presulis actus erit.  
Fermento careat, oleo spergatur, vt absit  
Culpa nocens, et eum sanctus inungat amor :  
Vox ita doctoris, quanto sublimius intus  
Corda ferit, tanto forcius illa mouet :  
Sic olei virtus virtutes ponderat eque,  
Forcia dum penetrat, micius acta regit.  
Lux cecis, cibus est ieunis, vncio morbis ;  
Hiis iubar infundit, hos cibat, hosque fouet :  
Lux est exemplo, cibus est dum pascit egenos,  
Vncio dum populis dulcia verba serit.  
Hoc oleo, testante Dauid, Cristus fuit vncetus,  
Vnguine leticie cum pater vxixit eum :  
Non vnguntur eo qui culpam Simonis equant,  
Qui vendunt vel emunt, nec sacra gratis habent :

1160

1170

1180

1190

Exulat hic de plebe dei qui peccat in istis,  
Tales nam pellit Cristus ab ede sua.

Hic loquitur qualiter signa Anticristi in Curia Romana  
precipue ex auaricia secundum quosdam apparuerunt.

*Cap<sup>o</sup>. xiii.* Plura locutura mens deficit ipsa timore,  
Labitur exanguis et tremefacta silet ;  
Huius enim vicii michi tangere si licet villa,  
Testis erit Cristus Romaque tota simul.  
Roma manus rodit non dantes, spernit et odit,  
Donum pro dono sic capit omnis homo.  
Non est acceptor personarum deus, immo  
Gracior intendit actibus ipse viri ;  
Gracia set nostra tantum quos mundus in auro  
Ditat, non alios accipit illa viros.  
Qui precium ponit diues preciata reportat  
Munera, nam tali curia tota fauet :  
Assumens oleum secum non intrat ibidem,  
Aurea ni valeat vngere gutta manum :  
Copia nil morum confert vbi deficit aurum,  
Nam virtus inopum nulla meretur opem.  
Auro si pulses, intrabis, et illud habebis  
Quod petis, et donum fert tibi dona tuum :  
Si tibi vis detur large, da munera larga,  
Nam si pauca seras, premia pauca metes.  
Quid faciet sapiens? stultus de munere gaudet.  
Dicat ad hec clerus, qui sapit ista magis.  
Munera, crede michi, capiunt hominesque deosque,  
Placatur donis maior in orbe datis :  
Set cum pro mundo tribuat sua munera Simon,  
Promotus Christi non erit inde sui.  
Vt veniant ad aquas sicientes sponte citauit  
Cristus, et ecce suo fonte cibauit eos ;  
Fontibus et nostris siciens non hauriet vllus  
Absque lucri pretio, quod dabit ipse prius.  
Vendere quid pro quo modus est quem curia nostra  
Seruat, et auxilio Simonis ipsa viget :  
Curia nostra virum nouit sine munere nullum,

1200

1210

1220

1214 ad hec CEHGDTH: ad hoc L et hec S

Set reddit in vacuis euacuata manus.  
 Dum dare vult laicus, precellit Theologiam ;  
 Si des dona michi, dona rependo tibi :  
 Marcus, Matheus, Lucas, si nulla, Iohannes,  
 Dona ferant, perdunt que sibi dona petunt :  
 Si veniat famulus mundi, viget ipse receptus,  
 Si famulus Christi, nemo ministrat ei.

Si veniat pauper, musis comitatus Homeri,  
 Et nichil attulerit, pauper ut ante reddit :  
 Si nous Augustinus ibi peteret, nec haberet  
 Quod daret ipse prius, transiet ipse vagus.  
 Construit atque legit laicus, bene cantat, in auro ;  
 Si dare sufficiat, stat bene quicquid agit.  
 Qualis enim pietas hec est discernite vosmet,  
 Aut si iusticia iura tenebit ita.  
 Si labat ecclesia declinans forte per istos,  
 Summus eam releuet de pietate sua,  
 Confundens hereses et que sunt scismata tollat,  
 Ne quis Cristicolas perdere possit oves :  
 Vnanimis redeant tibi, te miserante, redemptor,  
 Quos pax, quos pietas, quos liget una fides.  
 Anticristus aget que sunt contraria Christo,  
 Mores subuertens et viciosa souens :  
 Nescio si forte mundo iam venerat iste,  
 Eius enim video plurima signa modo.  
 Petri que titubat nauem prius erige, Christus,  
 Quam pereat, nec eam fastus in orbe voret.

Hic loquitur secundum commune dictum, qualiter honores  
 et non onera prelacie plures affectant, quo magis in ecclesia  
 cessant virtutes, et via multiplicitate accrescent.

Cap<sup>m</sup>. xv. O deus, omne patet tibi cor loquiturque voluntas,  
 Et secreta tuo lumine nulla latent :  
 Tu nosti, domine, quod quantum distat ab ortu  
 Solis in occasum regula prima fugit.  
 Ipsa fides operans, quam tu plantare volebas  
 Est quasi de clero preuaricata modo :  
 Ius quod erat Christi mundus sine iure resolut,  
 Prelatosque nouos vendicat ipse suos.  
 Nomen enim sancti sanctum non efficit, immo

1230

1240

1250

1260

Efficitur sanctus quem probat ipse deus.  
 Nos tamen a plebe si nomine glorificemur,  
 Et laudet mundus, laus placet illa satis :  
 Laruata facie sic fallitur ordo paternus,  
 Quo furtiuus honor expoliauit onus.

Vox populi cum voce dei concordat, vt ipsa  
 In rebus dubiis sit metuenda magis :

Hec ego que dicam dictum commune docebat,  
 Nec mea verba sibi quid nouitatis habent.  
 In cathedram Moysi nunc ascendunt Pharisei,  
 Et scribe scribunt dogma, nec illud agunt.

Nam constans, humilis, largus, castus que modestus,  
 Fit quibus ecclesiis regula culta prius,  
 Nunc vanos, cupidos, elatos, luxuriosos,  
 Raptioresque suo substituere loco.

Pacificos ira mitesque superbia vicit,  
 Nummus habet instos et Venus illa sacros.

Sic non iusticia causas regit, immo voluntas  
 Obscurata malis que ratione carent :

Sic modo terra deos colit et laceratur ab ipsis,  
 Est dum lex cleri nescia lege dei.

Nudis iam verbis vani tua iura figurant,  
 Et nichil aut modicum pondere iuris agunt ;  
 Exemplis operum te raro, Christus, sequntur,  
 Perfectumque tua legis inane tenent.

Que tua precepta ponunt, deponere curant  
 A propriis humeris, que michi ferre iubent ;  
 Hec precepta tamen que gloria ponit inanis,  
 A me tollentes propria ferre volunt.

De fundamento non curant, immo columpne  
 Effigiem laruant, se quoque templa vocant.

Nuper erat celum corruptum, sicque superbus  
 Corruit ex altis, lapsus et yma tenet ;  
 Proque suo vicio sic Adam de paradiso,  
 Sic Iudasque suum perdidit ipse gradum :  
 Non faciunt hominem status aut locus esse beatum,  
 Quin magis hos sternunt qui superesse volunt.

O deus, ecclesiam fecisti quam tibi sanctam,  
 Sanctos prelatos fac simul inde tuos :

Corrigat, oro, deus, tua iam clemencia tales,  
Nos quibus vt sanctis subdere colla iubes:  
Esse duces nostros quos lege tua statuisti,  
Fac magis vt recta semita ducat eos;  
Et licet instabilis vanus sit et actus eorum,  
Da populo stabilem semper habere fidem:  
Da, deus, et clero, verbo quod possit et actu  
Sic reuocare malum, nos vt in orbe iuuet.  
Exoptata diu dulcis medicina dolorum,  
Sero licet veniat, grata venire solet:  
Sique boni fiant de clero, nos meliores  
Tunc erimus, que dei laus ita maior erit.

1310

Postquam dictum est de illis qui errant in statu prelacie,  
dicendum est de errore curatorum, qui sub prelatis consti-  
tuti, parochiarum curas in animarum suarum periculo ad-  
mittentes negligenter omittunt: et primo intendit dicere  
de curatis illis qui suas curas omittentes ad serulendum  
magnatum curii adherent.

Cap<sup>m</sup>. xvi. Presulis incauti, sicut de voce recepi,  
Errores scripsi, pennaque cessat ibi.  
Sunt tamen, in curis anime qui iura ministrant,  
Rectores alii non sine labo dolii.  
Quo status ille modo se tendit scribere tendo,  
Si sit ibi mundus vel magis ipse deus.  
Ad tempus presens rectorum facta reuoluens,  
Inuenio mundi quod solet esse dei. 1330  
Presulis errore, curarum qui caput extat,  
Errat curatus, presulis ipse manus.  
Iam sine prebenda de Simonis arte creata  
Nil putat ecclesiam quomodocumque bonam:  
Hec prebenda tamen inopem non, set meretricem  
Pascit, sique deum non colit, immo deam.  
Tales nec caste curant neque viuere caute,  
De quibus exempla sunt modo sepe mala:  
Vestis habet pompam, cibus vsum deliciarum,  
Et thorax incestum clamat habere suum. 1350  
Ex Cristi poteris nuper cognoscere verbis  
Discipulos tunicas non habuisse duas;  
Set quia discipuli non sunt, in talibus isti

1330

Nolunt impositum sic retinere modum.  
Non tantum vestes geminant set condiciones,  
Quas magis errantes regula nulla sapit:  
En venit incastos aurum precingere lumbos,  
Denotet vt vanos comptus inanis eos;  
Militis effigie, nisi solum calcar abesse,  
Cernimus hos pompis degenerare suis.

1340

Cuius honor, sit onus; qui lucris participare  
Vult, sic de dampnis participaret eis:  
Sic iubet equa fides, sic lex decreuit ad omnes,  
Set modo qui curant ipsa statuta negant.  
Curas admittunt pingues et pingua sumunt,  
Set nolunt cure pondera ferre sue.  
Si viciis residere nequit curatus in ista  
Cura, tunc aliam querit habere nouam;  
Infiens primam, post polluit ipse secundam,  
Sic loca non via mutat et ipse sua. 1350  
Litera dispensat curato presulis empta,  
Et sic curati cura relicta manet;  
Presbiterum laicum retinet sibi substituendum,  
Curia magnatum dum retinebit eum.  
Est vt apes ibi sollicitus dum spirat honores,  
Set piger in cura tardat agenda sua.

1360

Quicquid habet mundus fictum, tunc fingit et ille,  
Curia quo dignum credere possit eum:  
Verba dabit blanda, set nec canis aptus ad arcum,  
Sic humili vultu flectit ad yma genu. 1360  
Alter vt ille Iacob socios supplantat, et omne  
Quo poterit mundi lucra tenere facit.  
Absit eum quicquam tamen absque iuuamine docti  
Simonis incipere, qui suus actor erit:  
Ostia si clausa fuerint, sic intrat ouile,  
Ac aliunde suum carpit auarus iter.  
De curis anime nil curat, dummodo terre  
Curia magnatis sit sibi culta lucris:  
Fert sibi nil virtus anime set corporis actus,  
Munus non meritum dat sibi ferre statum. 1370  
Qui nichil est per se, nec habet quo tendat in altum,  
Expedit alterius vt releuetur ope:  
Est tamen absurdum, cum quilibet ex alieno

1370

Intumet viterius quam tumuisse decet.  
 Littera dum Regis Papales supplicat aures,  
 Simon et est medius, vngat vt ipse manus,  
 En laicus noster fit clericus aptus vt omnes  
 Simone consultus scandal in orbe gradus.  
 Hic qui pauper heri fuerat quasi nudus et omni  
 Laude carens, nec eum patris habebat honor,  
 Cuius erat tunica vialis, non larga set arta,  
 Vix sibi que tetigit simplicitate genu,  
 Hunc polimita modo vestis circumdat, et eius  
 Alludens pedibus fimbria lambit humum:  
 Vestis que medium non nouit poplicis olim,  
 Iam colit hec talos oscula dando pedi.  
 Si mundi speculum scruteris in huius amictu,  
 Plurima rectoris cernere vana potes.

Presulis ipse gradum si non dum scandere possit,  
 Ecce tamen vestes comparat ipse pares.  
 Cuius erat solus nuper catulus domicellus,  
 En sequitur totus nunc quasi mundus eum;  
 Cuius erat baculus nuper palfridus, ad eius  
 Sellam cum loris subditur altus equus.  
 Sic viget in curis diues, set moribus expers  
 Indiget, et vano more gubernat opes.  
 Compotus in mundi rebus quod fiat habunde  
 Perstudet, vt domino det sua iura suo:  
 Computet vt Cristo set de curis animarum,  
 Turpiter absque lucro fossa talenta latent.  
 Curia sic Christi tollit mundana clientem,  
 Qui venit ad laqueum, dum sitit ipse lucrum.

Hic loquitur de rectoribus illis, qui ab episcopo licenciati se  
 fingunt ire scolas, vt sub nomine virtutis via corporalia fre-  
 quentent.

Cap<sup>m</sup>. xvii. Alter adest rector, causam designat et ipse,  
 Dicit enim sacras quod cupit ire scolas:  
 Vt vagus astet ibi prece ruffi presul et albi  
 Annuit, vt dominis quos amat ipse nimis.  
 Sic rector sibi sub specie virtutis adoptat,

1374 tumuisse EHL 1376 vngat vt D vngat et SCEHGL

1380

1390

1400

Vt queat in viciis rite studere vagus.  
 Nil decreta placent sibi nec sacra theologia,  
 Ars sibi nature sufficit immo sue:  
 Ipsa magistra docet res plures, discit et ille,  
 Scribit et in nocte que studet ipse die.  
 Et propter formam tandem petit ipse cathedram,  
 Vt sit ad hoc ductus, plura dat ipse prius:  
 Sic est curatus doctoris sede locatus,  
 Datque legenda suis mistica iura scolis.

'Ve soli,' legimus ex scripturis Salomonis,  
 Namque virum solum nemo requirit eum:  
 Qua ratione scole mos est, quod quisque studere  
 Debet cum socia doctus in arte sua.

Ipse deus sociam fecit per secula primam,  
 Vt iuuet hec hominem, sive creavit eam:  
 Masculus in primo factus fuit, atque secundo  
 Femina, sic vt in hiis det deus esse genus:  
 Istaque principia discretus rector agenda  
 Perstudet, et vota prebet in arte pia.

Quis laterisque sui costam quam sentit abesse  
 Non cuperet, per quam perficeretur homo?  
 Prima viri costa mulier fuit ipsa creata,  
 Vult igitur costam rector habere suam.

Nam deus humanam precepit crescere gentem,  
 Cuius precepto multiplicabit homo:  
 Sic sibi multiplicat rector, dum semen habundat,  
 Vt sit mandati non reus ipse dei.

Causas per tales rector probat et raciones,  
 Quod sibi sint socie, dum stat in arte scole.  
 Primo materiam conceptus tractat, et illam,  
 Vt veniat partus, stat repetendo magis;

Sic legit et textum, legit et glosam super illum,  
 Vt scola discipulis sit patefacta suis:

Verberat ipse regens pro forma sepe scolares,  
 Vt vigili virga sit vigil ipsa scola.

Quanto formalis magis extat in arte legendis,  
 Est opus in tanto materiale minus.

Non labor excusat, doceat quin nocte dieque,  
 Quo sibi dat vacuum sollicitudo caput:

Questio namque sua, quam disputat esse profundam,

1420

1430

1440

Sentit et in casu plura profunda mouet.  
 Responsalis ei respondet ad omnia, quare,  
 Nec sinit a logica quicquid abire sua; 1450  
 Sepeque doctori concluditur, ipseque tantum  
 Confusus cathedra linquit inesse sua.  
 Leccio lecta nocet, decies repetita nocebit;  
 Dum legit inde magis, plus sibi sensus hebes est.  
 Et sic ars nostrum curatum reddit inertem,  
 De longo studio fert nichil ipse domum:  
 Stultus ibi venit, set stulcior inde redibit,  
 Dum repetendo scolis sit magis ipse frequens.  
 Hec est illa scola, studet in qua clerus, vt yma  
 Nature iura scribat in arte sua: 1460  
 Practica discipulo bene conuenit atque magistro,  
 Vt speculatuum construat ipse suum.  
 Hec est illa scola super omnes labe colenda,  
 Qua socius sociam gaudet habere suam:  
 Attamen illa scola, dum sit socie sociata,  
 Fine dabit socium plangere gesta reum.  
 Sic scola cum socia confirmat in arte scolarem,  
 Fiet quod laicus, quando magister erit.  
 Heu! grauis est socia, grauis est scola iuncta sodali,  
 Ista vorat corpus, illaque tollit opes: 1470  
 Est inhonesta deo res, et mirabile plebi,  
 Quando magister erit atque ribaldus idem.  
 Ecclesia sponsa nuda, vestitur amica;  
 Sponsa relicta perit, altera cara viget:  
 Sic despontata clamare fide sibi fracta  
 Nunc venit ecclesia iura petendo sua.  
 Set quia lux perit, perit hinc ius, sique recedit  
 Curati sponsa stans quasi tota vaga.  
 Sic rector viciis studium non moribus aptans,  
 Dat decimam Veneri, que solet esse dei: 1480  
 Sic sibi consimilem generat curatus, vt artem  
 Nature solitam compleat ipse suam:  
 Sic viget in studio laici curatus ad instar  
 Corporis, vt sexum multiplicare queat:  
 Sic scola, que morum mater magis esse solebat,  
 Efficitur viciis stulta nouerca suis.

1454 plus sibi sensus hebes est SGDL fit sibi sensus hebes CEHTH.

Hic loquitur de rectoribus illis, qui in curis residentes, curas  
 tamen negligentes, venacionibus precipue et voluptatibus  
 penitus intendunt.

Cap<sup>m</sup>. xviii. Tercius est rector, animum qui tendit ad orbem,  
 In cura residens dum manet ipse domi:  
 Nuda sue folia cure sine fructibus affert,  
 Dum sine luce regens stultus obumbrat eam. 1490  
 Predicat ipse nichil animas saluare, nec egros  
 Visitat, aut inopes tactus amore iuuat:  
 Est sibi crassus equus, restatque sciencia macra,  
 Sella decora que mens feda perornat eum.  
 Ad latus et cornu sufflans gerit, vnde redundant  
 Mons, nemus, vnde lepus visa pericula fugit;  
 Oris in ecclesia set vox sua muta quiescit,  
 Ne fugat a viciis sordida corda gregis.  
 Sic canis, ad questum qui clamat in ore fideli,  
 Certus habebit eo quicquid habere velit; 1500  
 Set miser, ad portas qui clamat et indiget escis,  
 Heu! neque mica datur nec liquor villus ei.  
 O deus, in quanta talis tibi laude meretur,  
 Dans alimenta cani, que negat ipse viro!  
 Vix sibi festa dies sacra vel ieunia tollunt,  
 Quin nemus in canibus circuit ipse suis:  
 Clamor in ore canum, dum vociferantur in vnum,  
 Est sibi campana, psallitur vnde deo.  
 Stat sibi missa breuis, deuocio longaque campis,  
 Quo sibi cantores deputat esse canes: 1510  
 Sic lepus et vulpis sunt quos magis ipse requirit;  
 Dum sonat ore deum, stat sibi mente lepus.  
 Sic agitat vulpis vulpem similis similemque  
 Querit, dum iuuenem deuorat ipse gregem;  
 Nam vagus explorat vbi sunt pulchre mulieres  
 Etatis tenere, pascat vt inde famem:  
 Talis enim rector mulieribus insidiatur,  
 More lupi clausas circueuntis oves.  
 Dum videt ipse senem sponsum sponsam iuuenemque,  
 Tales sub cura visitat ipse sua; 1520  
 Suplet ibi rector regimen sponsi, que decore

Persoluit sponse debita iura sue.  
Sic capit in cura rector sibi corpora pulera,  
Et fedas animas linquit abire vagas.

Hic loquitur de rectoribus in curis residentibus, qui tamen curas animarum omittentes, quasi seculi mercatores singula temporalia de die in diem ementes et vendentes, mundi diuicias adquirunt.

Cap<sup>m</sup>. xix. Quartus adhuc rector curam residendo sinistrat,  
Ipseque mercator circuit omne genus.  
Est sibi missa: forum meditatur et inde tabernam,  
Ad socii dampnum dum petit ipse lucrum.  
Ecclesie meritum perdit, lucratur et aurum;  
Vt teneat mundum, deserit ipse deum. 1530  
Computat ipse diem cassam, qua vel sibi lucrum,  
Corporis aut luxum non capit ipse nouum:  
Est et auaricia sibi custos, sic vt in illis  
Partem diuicii pauper habere nequit.  
Masculus in nullo casu partitur egenus,  
Duplicle nam clavi cista resistit ei;  
Set pietas aliter se continet ad mulierem,  
Vt iubet ipsa Venus, est ibi larga manus.  
Expansis genibus expanditur aurea cista;  
Femina si veniat, dat sibi clavis iter: 1540  
Durior est ferro, quem nullus mollificabit,  
Vincit feminea set caro mollis eum.  
Dans ita quid pro quo merces mercede locabit  
Rector, in impropriis dum vacat ipse lucris.  
Omne quod vna manus sibi congregat, altera spergit,  
Dum sua dat cribro balsama stultus homo:  
Stultaque sic stultum predat, quod fine dierum  
Nil nisi sit rasa barba manebit ei.  
O si curatis nati succedere possent,  
Ecclesie titulo ferreque iura patrum, 1550  
Tunc sibi Romipetas, mortis quibus est alienae  
Spes, nichil aut modicum posse valere puto.  
Talis in ecclesia nunc est deuocio mota  
Curatis nostris: iudicet inde deus.

<sup>1533</sup> Est et S. Est sed (set) CEHGL. Est set et D  
CEHGDLT Durius S.

1541 Durior

modicum S

Postquam dictum est de errore illorum qui in ecclesia beneficiati existunt, iam dicendum est de presbiteris stipendiariis; de talibus saltem, qui non propter mundiciam et ordinis honestatem, set propter mundi ocia, gradum presbiteratus appetunt et assumunt.

Cap<sup>m</sup>. xx. Si de presbiteris dicam qui sunt sine curis,  
Hos viciis aliis cernimus esse pares.

Si tamen ecclesiam non optinet iste sacerdos,  
Annua servicia sunt velut ecclesia:

Plus quam tres dudum nunc exigit vnuus habendum,  
Strictus auaricia plus cupit ipse quia. 1560  
Hos velut artifices cerno peditare per vrbes,  
Conductos precio sicut asella foro.

Dignus mercede tamen est operarius omnis,  
Iuxta condignum quod labor ille petit:  
Set tamen vt vendat nulli diuina licebit,  
Sic poterit vendi missa nec vlla tibi.

Credimus vt sancta Cristus sacratus in ara  
Non plus vult vendi venditus ipse semel.

Se sine dat precio, dare qui iussit sacra gratis:  
Presbiter, ergo tibi quid petis inde lucri? 1570

Cum tibi vestitus, aptus fuerit quoque victus,  
Vnde deo viuas, cur tibi plura petis?

Si tibi plus superest de lucro, nil tibi prodest,  
Nam male quesitum nescit habere modum.

Aut Romam perges mercatum Simonis auro,  
Qui te promotum reddet, et inde tuum  
Argentum tollet collectum per prius, et sic  
Quod tibi missa dedit Simon habere petit;  
Aut meretrix bursam, te luxuriante, repletam  
Sugget, et in vacuam quam cito reddet eam. 1580

Quod dedit ecclesia tollit meretrix que taberna:  
Hec tria dum iungunt, turpia plura gerunt.

Hec ita cum videam, mundi noua monstra putarem,  
Si foret hoc raro quod speculamur eo;  
Set quia cotidie potero predicta videre,  
Sepe michi visa nil modo miror ea.

Mergulus inmergit fluuius sua membra frequenter,  
Et longas gignit in latitando moras;

*Heading 1 Postquam S 2 iam om. S*

Isteque signat eos quos carnis fluxa voluptas  
Funditus exercet et retinendo premit. 1590  
Est apud antiquos 'hic et hec' dixisse 'sacerdos,'  
Dicere sic et nos possumus 'has et eos:'  
Hii modo namque sua mundum replent genitura;  
Si pietas sit ibi, sunt modo valde pii.  
Nox et amor, vinum, nullum moderabile suadent,  
Que tria presbiteris sunt modo nota satis.  
Stat breuis ordo precum, dum postulat ipse vicissim  
Oscula per longas iungere pressa moras,  
'O sacer,' hec dicens, 'quam longum tempus ad illud  
Vt tua sint collo brachia nexa meo?' 1600

Qui vult vxorem seruare sibi modo castam,  
Et mundas cameras querit habere suas,  
Longius a camera sit presbiter atque columba,  
Stercora fundit ea, fundit et ipse stupra.  
Sobrius a mensa, de lecto siue pudicus  
Consurgit raro presbiter ipse deo:  
Cantat in excelsis sua vox agitata tabernis,  
Est set in ecclesiis vox taciturna nimis:  
Doctus et a vino colit ipse lupanar, et illuc  
Exorando diu flectit vtrumque genu.  
Sic vetus expurgat fermentum, dum noua spergit,  
Non tamen vt Paulus iusserat ipse prius:  
Sic altare Baal modo thurificare sacerdos  
Vult, per quem viui feda fit ara dei.  
Sufficit vna michi mulier, bis sex tamen ipsi,  
Vt iuueni gallo, cerno subire modo.  
Sic sacra presbiteri celebrant solempnia Bachi,  
Ebrietasque magis sanctificatur eis.  
Gentilis ritus vetus incipit esse modernus,  
Talibus et Cristi lex perit ipsa quasi: 1610  
Sic modo templorum cultores suntque deorum,  
Plus in honore quibus stat dea summa Venus.

Hic loquitur de consueta presbiterorum voluptate, et qualiter  
hii stipendia plebis ex conuencione sumentes, indeuote pro mor-  
tuis orando non se debite ad suffragia mortuorum exonerant.

Cap<sup>m</sup>. xxi. Ignis edax terram vorat et nascencia terre;

1617 solennia CEDL

Quo furit illius impetus, omne terit;  
Sic et in incastis exemplis presbiterorum  
Indoctis laicis feda libido nocet.  
Nil commune gerunt luxus sibi cum ratione,  
Corpores sensus quinque libido cremat:  
Quos talis maculat nota talis pena sequetur,  
Illorum pene sulphur et ignis erunt. 1630  
Consuetudo tamen solet attenuare pudorem,  
Reddit et audacem quem mora longa trahit.  
Non peccare putant quod sepius oscula iungant,  
Oscula nam pacis signa parare solent;  
Estque parare piam pacem meritaria causa,  
Nec sine pace diu stat pietatis amor:  
Sic in presbiteris amor est de pace creatus,  
Oscula nam solito more frequenter agunt.  
Altera natura solitus reputabitur vsus,  
Vsus et a longo tempore iura parit; 1640  
Immoque nature si nos de iure loquamur,  
Hoc in presbiteris splendet vbique magis:  
Et si sub forma tali sint iura creanda,  
Legis quod vires longior vsus habet,  
Tunc puto presbiteros ex vsu condere leges,  
Oscula dum crebro dant in amore suo.

Ecclesie gremium notat ordo presbiterorum,  
Quo debent animas rite fouere bonas;  
Quomodo set proprias qui non curant, alienas  
Curabunt? non est hoc racionis opus. 1650  
Nescio quid meriti poterunt tales michi ferre,  
Qui sibi nil proprie commoditatis habent:  
Nam peccatores scitur quod non deus audit,  
Est inhonesta deo laus set ab ore mali:  
Indeuota deo qui verba precancia confert,  
Iudicii proprii dampna futura petit.  
Qui dampnum causat, hic dampna dedisse videtur,  
Ledit qui patitur que reuocare potest:  
Infligit mortem languenti, qui valet illam  
Nec vult auferre, set sinit esse malum: 1660  
Presul qui laicos, cum non sint ordine digni,  
Ordinat ad sacra, scandala plura mouet.

1642 Hoc S Hec CEHGDL

Presbiteros notat iste reos, qui corpore fedi  
Que sunt luxurie feda latenter agunt;  
Hos laici quasi lucis aues restringere querunt,  
Zelo succensi legis, amore dei.

1700

Preuaricatus enim Iudas non amplius inde  
Seruorum Cristi dignus honore fuit.  
Dum iuga luxurie supportat presbiter, ipsum  
Si pungant laici, computet inde sibi.

Iusto iudicio lex vult, quod iuris abusor  
Amittat vicio, quod sibi iura dabant.

Ecclesie fratres in Christo nos sumus omnes,  
Semper et alterius indiget alter ope:

1710

Lex tamen hoc dicit, frater quod si tuus erret,  
Corripe, sic et eum fac reuenire deo:

Si te non audit, dic ecclesie, set et illam  
Si non audire vult, nec adheret ei,

Amplius ille tibi velut Ethnicus est reputandus,  
Quo sibi de culpa parcere nullus habet.

Presbiter ergo suis assistens cotidianis

Peccatis nullo debet honore frui:

Non erit exemptus, nam qui neque iura veretur,  
Non est iusticie quod quis honoret eum:

Qui contra legem vetitis presumperit vti,  
Debet concessis lege carere bonis.

1720

Omne quod occultum latet, vteriore patebit  
Fine, nec excusat ordo vel ille status.

Dic, sibi quid valuit tunc excusacio facta,  
Dum foliis fici se male texit Adam?

Quid valet aut, culpam carnis si presbiter umbra  
Contegat ipse sui fultus honore status?

Hic scribit contra hoc quod aliqui presbiteri dicunt, qua-  
liter ipsi in carnis luxuriam committendo non grauius homi-  
nibus laicis deum offendunt.

Cap<sup>m</sup>. xxiii. Dicunt presbiteri, non te peccant magis ipsi,

Dum carnis vicio fit sua victa caro:

Sicut sunt alii fragili de carne creati,

Dicit quod membra sic habet ipse sua.

1730

'Sum velut alter homo,' dicit 'cur tunc mulieres,

Tales si quis emit lucro, frustrabitur inde,  
Aut si perdet in hiis scit magis ipse deus.  
Hoc scio, quod panem qui fregerit esurienti,  
Cuius debilitas est sine fraude patens,  
Qui nudos operit, infirmos visitat, illi  
Debentur merita pro bonitate sua:  
Set qui sunt fortes, vanaque sub ordinis umbra  
Conspirant requiem quam sibi mundus habet,  
Errat eos presul sacrans, et quosque locando  
Tales de merito perdere dona put.

1670

**Hic tractat causam, quare accidit quod laici, quasi iuris  
amicci, luxurie presbiterorum consuetudinem abhorrentes,  
eam multociens castigantes grauiter affligunt.**

Cap<sup>m</sup>. xxii. Hoc dicit clerus, quod, quamuis criminis plenus  
Sit, non est laici ponere crimen ei;  
Alter et alterius cleri peccata fauore  
Excusat, quod in hiis stat sine lege reus.  
Non accusari vult a laicis, tamen illos  
Accusat, que sibi libera frena petit.  
Libera sunt ideo peccata placencia clero,  
Sit nisi quod laici iura ferantur ibi.

1680

Presbiter insipiens populum facit insipientem,  
Et mala multa parit qui bona pauca sapit:  
Clerus lege carentis populum dat lege carentem,  
Sic parat et causam presbiter ipse suam:  
Nam quia lege caret laicus, sine lege manentem  
Ignorat clerum, quem videt esse reum.  
Si foret et sapiens clerus, sapiencia plebis  
Staret, vt in lege perset vterque simul;  
Set quia iam fatui patet insipientia cleri,  
Despicitur vita desipientis ita.

1690

Pluribus exemplis natura iuuat rationem,  
Doccius unde suum iudiciale regat.  
Hinc est quod latitans bubo lucis iubar odit,  
Escam vestigat nocte, veretur aues:  
In quam forte greges auium si lumina figant,  
Conclamando volant et laniando secant.